






II
21


BIBLIOTECA NAZ
RACCOLT










Ex Libris Joannis Nencini
1874


FIRENZE

MATTHAEI GRIBALDI IVRISCONSVLTI CHERIANI, IN florentissimo Patauino Gymnasio iura ciuilia ex ordine profitentis, subtiles atq; perutiles interpretationes in l. rerũ mistura, & l. si is qui pro emptore de usucapio.



VENETIIS. M D LII.



MATTHAEI GRIBALDI IVRISCONſulti Cheriani, in florentiſſimo Patauino gymnaſio ius ciuile ex ordine profitentis, in philoſophicam Pomponij legem Rerum miſtura de uſucapio. Paraphraſis non contemnenda.

Sextus Pomponius.



ERVM miſtura facta, an uſucapionē cuiuſq; rei præcedentem interrumpat, quæritur. Tria aũt genera ſunt corporum, unum quod continetur uno ſpiritu, et græce ἡνωμένον uocatur, ut homo, lignum, lapis, & ſimilia: alterũ quod ex continentibus, hoc eſt ex pluribus inter ſe cohærẽtibus cõſtat, quod græce Συνημμένον uocatur, ut ædificium, nauis, armarium. Tertium quod ex diſtãtibus conſtat, ut corpora plura nõ ſoluta, ſed uni nomini ſubiecta, ueluti populus, legio, grex. Primum genus in uſucapione quæſtionẽ nõ habet, ſecundũ & tertium habent. Labeo in libris epiſtolarum ait, Si is, cui ad tegularũ uel columnarum uſucapionem decem dies ſupereſſent, in ædificiũ eas conieciſſet, nihilominus eum uſucapturũ, ſi ædificiũ poſſediſſet. Quid ergo ijs quæ nõ quidem implicantur rebus ſoli, ſed mobilia permanent? ut in annulo & gemma: in quo uerum eſt & aurum & gemmam poſſideri, & uſucapi, cum utrunq; permaneat integrum. De tertio uero genere corporum uidendum eſt. Non autem grex uniuerſus ſic uſucapitur, quomodo ſingulæ res, nec ſic quomodo cohærentes. Quid ergo eſt? Et ſi ea natura eius eſt, ut in adiectionibus corporũ maneat idẽ grex, non tamen uniuerſi

gregis ulla est usucapio, sed singulorũ animalium sicuti possessio ita, & usucapio nec, si quid emptum, immixtũ fuerit gregi augendi eius gratia, idcirco possessionis causa mutabitur, ut si reliquus grex dominij mei sit, hæc quoq; ouis: sed singulæ cãm suã habebunt, ita ut siquæ furtiuæ erũt, sint quidẽ ex grege, nõ tamẽ usucapiãtur.

PLVTARCHVS in eo li. qui de præceptis cõiugalibus inscribitur num. 35. a quo Pomponiũ hæc desumpsisse putat Alciatus lib. ij. prætermissorũ ti. de usucapio. tria corporũ genera ijs uerbis distinguit. Corpora ph[ilo]sophi dicunt alia ex discretis constare, ut classem, u[t] exercitũ. Alia ex cõiunctis, ut domũ, nauẽ. quædã unita esse atque cõgenita, ut singula animalia. fere igitur connubiũ, quod ex amãtibus constat, unitum congenitumq́; est: quod uero dotis procreandorumq́; liberorum gratia fit, ex coniunctis est. Concumbendi causa coniugium ex discretis, quos simul habitare, non simul uiuere arbitrari quispiã possit. hæc Plutarchus. Hanc corporũ distinctionẽ cõmode suscepit Pomponius elegans iurisconsultus, uolens de usucapione earum rerum, quæ aliqua mistura simul cohærent pertractare. Primum ergo genus est eorum corporũ, quæ simplicia sunt, & uno spiritu cõtinentur græce ἡνωμένα, latine unita seu cõgenita appellãtur. nã partes ipsæ simul cũ toto gignuntur, neq; p se unquã et seorsum cõsiderantur. non. n digitus est nisi respectu manus, neq; manus nisi respectu brachij, & hæc omnia respectu totius corporis. nullo igitur spiritu distinguuntur, sed ad unũ spiritũ tantũ, idest ad unam formã congenita sunt. Cuiusmodi sunt omnia corpora, quæ nõ ab arte fiũt, sed

a natura ipsa gignuntur, ut homo, equus, lignũ, lapis, & talia corpora simplicia, licet insensata, uno tamen spiritu a iurisc̃osultis c̃otineri dicuntur: cũ sp̃us proprie rebus ui uis, & sensatis c̃oueniat, ut hic & l. in rem. §. quod non id̃e de rei u̇ẽdi. quoniã quẽadmodũ sp̃us dat formã corpo ri organico digniori secundũ philosophũ: sic pro forma omniũ corporũ naturaliũ generaliter accipitur. Ideo cor pora simplicia unico tãtũ spiritu. i. unica forma c̃ostare dicũtur ad differentiã c̃opositorũ, quæ ex multis rebus di scretã ac principalẽ in se formã habentibus artificialiter aggregãtur. C̃oposita. n. corpora ex multis spiritibus, idest formis principalibus c̃ostãt. §. si duorũ Inst. de re. diuisio. Dicet aliquis, n̄one manus, pes, digiti suas habent formas separatas, ex quibus corpus naturale c̃oficitur? Resp̄odeo formas quidẽ habere, sed accessorias et minime principa les. illa. n. a natura ad unũ principalẽ sp̃um, et ad unã præ cipuã & primariã formã congignuntur, nec unquã per se principaliter c̃osiderantur. Nã ubi plura propter unũ, ibi unũ tantũ ait philosophus. facit tex. in l. et si n̄o sunt §. perueniamus de au. & argẽ. lega. in r̄one sui sunt igi tur pes, manus, digiti, partes congenitæ corporis organici, ut dictũ est, nec unquã habent per se rationẽ totius, uel corporis separati: et c̃osequenter corpus oẽ ex talibus con stãs simplex recte dicitur, et uno spiritu contẽtũ iuribus præallegatis. & huiuscemodi corpora simplicia seu con genita Alciatus græca uoce φυσικα uocat, idest natu ralia. Natura enim non c̃oposita, sed simplicia semper gi gnit corpora, & uno spiritu contenta. Ars uero ex simpli cibus corpora alia componit, quæ Alciatus ibidem τεχνικα græce appellari ait, idest artificialia: atque ita

hunc locum Pomponij ex ſententia quoq; Demetrij Chalcondilei reſtituendum probat, ut non ἡνωμένον καὶ σωνημένον, ideſt unitum & connexum legendum ſit: ſed ut dictū eſt φυσικὸν καὶ τεχνικὸν, ideſt naturale & artificiale. ſed ego malim credere Plutarcho grauiſſimo authori, qui unita & connexa corpora uocat, a quo Pomponium huius loci argumentū ſumpſiſſe idem Alciatus exiſtimat. Quare Alciati uerba ſcilicet naturale & artificiale, non reponenda arbitror, ſed potius interpretationis uberioris loco habenda. utraq; enim expoſitio uera eſt, neque a philoſophorum mente, uel phyſica ratione aliena. uerum prædictis non nihil pugnare uidetur Paulus in d.l. in rem. §. item quæcunque in fin. de rei uendi. ubi dicit ſtatuam uno ſpiritu contineri: & tamen ſtatua non naturæ, ſed artis opus eſt l. ſi ſtatuam de au. & argen. lega. & patet ad ſenſum. nam ut ait propheta ſimulachra omnia, opera manuum hominum ergo non poſſumus omne corpus ſimplex & uno ſpiritu contentum, naturale ſeu φυσικὸν (ut Alciatus uoluit) appellare? Ad hæc reſpondeo ſtatuam ad imaginem & relationem corporis naturalis humana arte fabricari, ideo uno ſpiritu contenta atque congenita corpora omnia dicemus, quæ uel ab ipſa natura gignuntur, uel ab arte ad imaginem naturalium exprimuntur. & ita ceſſat omnis difficultas.

SECVNDVM genus eſt eorum, quæ ex pluribus cohærentibus componuntur græce σωνημένα latine coniuncta ſeu connexa dicuntur. Alciatus (ut ſupra relatum eſt) τέχνικα hoc eſt artificialia uocat. Natura enim

talia corpora non producit, ſed ſimplicia & congenita tantũ: ars uero ex multis ſimplicibus formis unam cópo-nit cuiuſmodi ſunt domus, nauis, armariũ, & ſimilia, et hæc non uno ſed diuerſo ſpiritu continentur, ideſt diuerſis formis æque principalibus. Nam oẽs res, quæ ad cópo-nendum unũ corpus ab homine connectuntur, ſunt per ſe principaliter cõſiderabiles, propriam & primariã for-mam habẽtes, nec ad illud corpus naturaliter compara-tæ, ſed etiam ad uſum ſuum principalem, ut uel per ſe uel ſimul cũ alijs rebus inſeruiant tolle exemplũ, domus ex tignis, cementis, columnis, clauis, & alijs ſimilibus conſtruitur; & tamen tignum, columna, ſunt corpora ſeparata et æque principalia, formã propriam atq; uſum per ſe habentia, etiam citra alterius rei miſturam uel compoſitionem. poteſt enim clauus muro affigi, ut ali-quid appendatur, colũna erigi ut aliquid alligetur, ti-gnum immitti non ut domum faciat uel nauẽ, ſed ut funem uel aliud quidpiã teneat. Et hac ratione diſtant res, quæ ad componendũ corpus adhibentur ab ijs, ex qui bus ſimplex et naturale corpus efficitur, cuiuſmodi ſunt pedes, manus, digiti ad corpus organicũ, uel ad eius ſimu lachrũ, ſeu ſtatuã: ꝙ hæ nunq̃ per ſe principaliter cõſi-derãtur, ſed ſemper propter aliud a natura cóparantur, nec a ſuo toto ſeparari queunt, ſed eius naturã & cõdi-tionẽ perpetuo ſequuntur. Illæ uero, & proprium uſum habent, & per ſe (ut toties dictũ eſt) principaliter cõſide rantur. Breuiter, quæ corpus ſimplex efficiunt, nunquã partis nomen amittunt: quæ uero cópoſitum ſtatuũt, ubi ſeparata fuerint, partes eſſe deſinunt, & totius nomen aſſumunt. ita ſenſit Vlpianus in. l. locus de uerbo. ſigni·

dum inquit quamlibet fundi portionem, fundũ dici posse, si eum locũ separauerimus, ut per se, & seorsum possideatur. Vnum præterea in hoc genere corporum compositorum perpetuo adnotandũ est, q̃ omnia ex quibus unũ aliquod corpus cõponitur diuersi generis sunt. tũc enim proprie compositum aliquid dicitur, cum diuersa genera in unum coeunt: nam hæc omnia accedunt, ut unã principalem formam constituant. porrò quicquid alteri accedit, uel alterius instrumentum est, diuersi generis esse necesse est, ut eleganter probat Paulus in l. fin. de fund. instruc. legat. quem tex. subtiliter induxit Dyn. in. c. mora. de regul. iur. in. yi. ad axioma illud uulgatũ. Disponens et dispositum se sub eodem genere non compatiuntur, & hac ratione hoc secundum genus compositorum a sequẽti genere differt, ut mox ostendemus.

TERTIVM genus est eorum corporum, quæ ex discretis seu distantibus constant, et nomine potius quàm re colliguntur: atq; ideo collectiua corpora recte appellãtur, ut chorus, familia, populus, legio, exercitus, grex, et similia & hoc est quod uoluit iurisconsultus ibi, ut corpora plura nõ soluta, sed uni nomini subiecta. et differt hoc genus a præcedenti in multis. Nam præcedens ex cohærentibus, & simul iunctis constat: hoc ex distantibus, & separatis. Illud ex diuerso genere conflatur, atq; ideo corpus ἑτερογένεον dicitur: hoc ex eodem genere constat, unde ὁμογένεον recte appellatur. Illud ex pluribus rebus connexis realiter educitur, & suis partibus sensibiliter integratur, atq; ideo totum integrale uocatur: hoc autem ex pluribus indiuiduis eiusdem generis

in unum nomen collectis efficitur, et totum collectiuum nuncupatur. Illud remota una parte integrali totũ corrumpitur: hoc autem remoto uno indiuiduo non extinguitur, ut infra suo loco fusius dicetur.

HIS ad declarationem terminorum præmissis, reliquũ est singula genera iuris dispositione metiri; ut quid de unoquoque leges statuerint, breuiter explicemus.

CIRCA primum igitur genus, quod simplex et cõgenitũ appellatur, Iurisconsultus hic nihil definit, quasi nullã difficultatẽ ostẽtans. sed nõ inutilis erit huius corporis interpretatio, in quo fit conclusio, quod omnia mẽbra, oẽsq; partes corporis uniti seu congeniti semper cum suo toto cõsiderantur, & eodẽ iure possidentur atq; usucapiuntur d.l.in rẽ.§.itẽ quæcunq; de rei uẽdicatio. Vbi adiungens brachiũ alienũ statuæ suæ per ferruminationẽ, idest confusionẽ eiusdem materiæ inseparabilẽ, unum corpus indiuiduũ facit, & uno spiritu contentũ: & illud totũ cũ omnibus suis mẽbris uniformiter possidet, & acquirit, ut etiã si illud brachiũ aliquãdo abrumpatur, et fracta forte statua separetur, ad priorẽ tamen dominum nõ reuertatur, quia totius corporis naturã assumpsit, & eius cõditionem perpetuo sequitur. Ratio patet. nã corpora simplicia, & congenita, uelut uno spiritu contenta, omnino indiuidua sunt, & natura, & iuris dispositione, ideoq; difformem non recipiunt determinationem.l. eum qui ædes in fi. supra eo.l.iiij. de lega. ij. qui igitur statuam, uel aliud corpus simplex possidet, et usucapit omnes eius partes, & omnia membra eodem iure simul possidet, & usucapit.

OPPO. de l.in quartā ad l. falcid. ubi idem corpus prælegatū uni ex hæredibus diuerso iure censetur, partim iure hæreditario, partim iure legati. Item & de l. Papinianus. §. sed nec impuberis de inoffi. testa. ubi idem testamētū diuersimode accipitur, ut testamētū patris, et ut dispositio filij ad exclusionē et matris, et fratrū ipsius impuberis. Solutio, una et eadē res diuerso respectu diuerso iure censetur. Respectus tamen ad personas habendus est. diuersitas enim personarum obiectarum diuersum ius statui facit. Cæterum respectu eiusdem personæ nūquam idem corpus difformiter intelligi potest d. l. iij. de lega. ij.

OPPO. de l. legatarius in princ. de lega. i. ubi idem corpus ab hæredibus legatarij diuidi pōt, ut partim agnoscatur, partim repudietur. Solutio ibi respectu diuersarū personarū diuisio fit, sed totum eodem iure defertur, nam agnoscenti partem totum accrescit: quia ille solus legatarium in eo legato repræsentat, et potius per ius nō decrescendi illud habere uidetur secundum Bartol. in. l. re coniuncti num. 51. de lega. iij. & sic in effectu in eadē persona scindi non potest.

OPPO. de tex. in d. §. item quæcunq; in princ. de rei uendicatio. ubi brachium alienū additum statuæ per plumbaturam, idest per colligationē alterius materiæ separabilem a suo toto, diuidi pōt? Respondeo hæc oppositio nihil facit, quoniā tex. ibi loquitur de uēdicatione rei alienæ alteri corpori separabiliter adiunctæ. Nos loquimur de usucapione et dominij acquisitione per legitimā

possessionẽ, concludentes brachium quouis modo statuæ adiunctũ, bona tamen fide possessum, cum ipsa statua seu cum ipso toto uniformiter usucapi, et post completã usucapionẽ ad priorem dominũ minime pertinere: quod in corporibus cõpositis nõ procædit, ut usucapione totius cõcreti singulæ quoq; res per se usucaptæ intelligantur, ut proxime in sequenti genere dicemus. Proinde in hoc articulo sic distinguendum est, aut res aliena corpori simplici & unius spiritus mala fide adiuncta est, et põt a domino quandocunq; & indistincte uẽdicari d.l. in rẽ. §. signũ. cum glo. in uerbo descendit de rei uendicatio. aut bona fide possidetur, & tunc si per ferruminationẽ, seu inseparabiliter iuncta est, uẽdicari nõ põt, sed ante usucapionem actione in factũ ad æstimationẽ agetur d. §. item quæcunq; uersic. non idem. si uero per plumbaturã, idest per colligationem separabilem addita fuerit, ante usucapionem poterit quandocunq; uendicari d. §. Itẽ quæcunq; in princ. & uersic. plumbatura uero: & hæc de primo genere sufficiant.

CIRCA secundum genus, quod ex multis rebus diuersæ formæ ac spiritus cõponitur, quod etiã artificiale uocatur. Prima sit conclusio, ꝙ usucapto toto singulæ res cohærentes usucaptæ nõ intelliguntur, tex. est hic & in d.l. in rem. §. fi. de rei uẽdicatio. & in l. eũ qui ædes supra eo. & ideo dissoluto toto corpore cõposito poterunt dictæ res quandocunq;, etiam post usucapionem totius, a uero domino uendicari iuribus prædictis & l. ij. C. de rei uendicatio. Ratio huius conclusionis nõ insubtiliter reddi põt. Nam qui unum corpus compositum uel unũ totũ

integrale possidet, unã tantũ rem animo tenet, puta domum, uel nauẽ in cõcreto, nõ etiã singulas res cohærẽtes. unius enim intẽtionis unus est finis, & una causa plures effectus æque principales producere nõ põt l. ꝙ Labeo de cõpensatio. Igitur qui domũ possidet, nõ intendit tigna, colũnas, & cemẽta, ex quibus illa cõponitur ꝑ se possidere. alioqui una & eadẽ res eodẽ tẽpore bis et difformiter possideretur, atq; usucaperetur, semel in cõposito, ut pars; rursus separatim, & per se, ut totũ: in cõposito, ut res immobilis; rursus per se, ut mobilis, quod absurdũ est, & naturæ, ac legibus repugnans d. l. eum qui ædes supra eo. Sic exclusa fuit legataria, quæ eodem tẽpore, ut nupta & innupta admitti uolebat l. mulieri, & l. Titiæ de cõditio. & demõ. glo. in l. si Titio de lega. ij. & hoc est, quod uulgo dicitur, contrariũ sibi ipsi nõ audiri l. i. C. de furt.

PRAEDICTA tamen cõclusio singularem, & admodũ notabilẽ recipit limitationẽ, ut non procedat, quãdo res mobilis esset penè usucapta, & postea in ædificiũ coniecta: quia tunc modici tẽporis momentum nõ consideratur; quinimo ipsius rei simul cũ possessione totius aggregati cõpletur usucapio argumẽto l. si fundũ de fund. dotal. & l. cœptã supra eo. benefacit dictũ Bald. in c. fi. in iiij. col. de præscriptio. relatum per Iaso. in l. si is qui pro emptore num. 53. supra eo. ꝙ præscriptio intra paucissimos dies perficienda habetur pro completa, quia propter modicũ momentũ tẽporis non debet uitiari longi tẽporis tractus: et potẽtia propinqua actui pro actu quodãmodo reputatur l. pen. de mili. testamẽ. & licet Iuriscõsultus hic decẽ dierũ mẽtionẽ faciat, ea uerba narratiua esse ar

bitror, nō dispositiua; et ad exemplū magis quàm ad ius referri l.regula de iu.& fur.igno. Quantitas ergo temporis ad cōplendam huiuscemodi rerū mobilium usucapionem iudicis arbitrio relinquitur l.i.de iure deliberan. d.l. si fundum de fund. dotal. Non omitto tamen decendium hic expressum fuisse pro modico tempore, ut in l. promissor de consti.pecu.iunc.l.quod dicimus de solutio. & quāuis in numeris, et tēporibus iuris positiui cōcludēs ratio assignari nō possit l.i.§.pueritiā cū glo.in uerbo ratus de postulan. tamen numerus denarius, quia cōplemētū est totius numeri, quandā habet emphasim, & sacer, ac diuinus numerus dicitur, & in iure nostro frequentius usurpatur. Nā decendiū appellationi cōceditur, ut in Auc.de appellatio.§.i. Itē cōdēnatis ad soluendū d.l.ꝙ dicimus et d.l.promissor. Itē contumaci ter citato l.p intervallū de iudi.ubi mox fieri dicitur, quod intra decendiū fit. Itē ultra decimū mensem partus non est legitimus l. Gallus in princ. de lib.& posth.& in Auc.de resti.& ea quæ in undeci. men.parit.§.i.unde Vergil. Matri longa decē tulerunt fastidia mēses. Itē decimo anno præscriptio immobiliū inter præsentes absoluitur to.ti.C.de præscript.lōgi tēpo.Inst. de usucapio.§.i. Itē decimus fluctus cæteris omnibus maior, & potentior obseruatus est ad perniciem, uel salutē nauigantiū. Vnde Ouid.de tristi.lib.i.

Qui uenit hinc fluctus, fluctus supereminet omnes,
Posterior nono est, undecimoq; prior.

Idē Metamorph.lib.xi. Sic ubi pulsarunt celsi latera ardua fluctus. Vastius insurgens decimæ ruit impetus undæ: Nec prius absistit fessam oppugnare carinam, Quàm uelut in captæ descendat mœnia nauis. Item

Lca.lib. 5.Hæc fatum decimus (dictu mirabile) fluctus Inualida cum puppe leuat. Item Sillius lib.xiiij. Non aliter Boreas Rhodopes a uertice præceps, Cum sese immisit, decimoq; uolumine pontum Expulit in terras. Item

Ouidius in Fastis de eodem numero.

Annus erat decimum cum luna receperat orbem,
Hic numerus magno tunc in honore fuit.
Seu quia tot digiti per quos numerare solemus,
Seu quia bis quino fœmina mense parit:
Seu quod ad usq; decem numero crescente, secundum
Principium spatijs sumitur inde nouis.

CIRCA tertium genus ex discretis seu distantibus, constans fit conclusio, ꝙ totum collectiuum in concreto usucapi non potest, sed singula indiuidua per se considerantur, & usucapiũtur. d.l. in rem. §. Item uersi. At in ijs corporibus de rei uendica. & Ideo si uitiosa aliqua pars concurrat, illa non usucapietur. Item si quid postea tali corpori collectiuo addatur, per se usucapietur, nec possessiõis causa ex titulo uniuersali mutabitur, ut hic & d. § item. Ratio in promptu est, quoniã & si plura indiuidua in unã uocẽ seu denominationẽ cõcurrãt, uere tamen per se subsistunt, & singula suã propriã speciem atq; naturam conseruant, ut inquit Paulus in d. §. item. facit tex. in l. si chorus de lega. iij. ubi legato choro perinde est, ac si singuli homines legati fuissent quãtum ad omnia, uno excepto, scilicet unitate legati, nam una uox unum legatũ facit, ut a legatario diuidi, & partim agnosci nõ possit l. ij. iiij. & . vi. de lega. ij. & licet Bartol.

ex illo tex. collegerit, idem operari genus in suo genere, quod species in sua specie: hoc tamen inde nõ recte deducitur. nõ enim tex. ille de genere loquitur, sed de termino seu nomine collectiuo, quod a termino generali longe differt. nã genus de multis speciebus prædicatur l. ij. §. i. cum glo. in uerbo in creditum si cert. pet. & cuilibet speciei inest nomen sui generis per consequẽtiam & positionẽ, quia posita specie ponitur & genus, ut homo est, uel leo est, ergo animal l. si quid earum. §. inter emptum cum glo. in uerbo paratum de lega. iij. Sed collectiuum nomen non species, sed indiuidua complectitur: non de illis prædicatur, sed in ipsa resoluitur: non inest cuilibet indiuiduo collecto per consequentiã uel positionem, ut genus, sed pluralitatem perpetuo requirit, ut nomen cõsistat. neq; enim ut posito homine ponitur animal, ita posita oue ponitur grex: nec sequitur cãtor est, ergo chorus: miles est: ergo legio uel exercitus, quẽadmodum bene sequitur, homo est, ergo animal. proinde ex prædicta l. si chorus sic melius colligi & adnotari posset. Idem operatur collectiua locutio, uel termini collectiui prolatio, qđ singularis indiuiduorum expressio uel enumeratio.

DIFFERT autem hoc ultimum genus collectiuum a præcedenti genere composito, quoniam illud in suo toto concreto possidetur, usucapitur, & uendicatur: hoc aũt uendicari quidem potest, sed non usucapi, ut hic & l. i. §. fin. de rei uendicatio. & licet nõnulli cõtrariũ uoluerint: quod immo totũ collectiuũ possit usucapi, quia potest uendicari ut Io. & Accursius hic in uerbo singulæ: tamen a uerbis Iurisconsulti non est ceredem

dum, dicentis nullam esse uniuersi gregis usucapionem, alioqui sequeretur absurdum, quod quis eodem tempore eandem rem, seu idem indiuiduum bis & difformiter usucaperet: scilicet in uniuerso & singulariter, uel ut totum et partem. Item quod per se ob sui uitium usucapi non posset, cum cæteris in uniuerso transiret argumento l. quædam de acqui. re. domi. & l. In modicis de cõtrahen. emptio. cum ibi not. & sic nunquã huic legi locus esset. Quare concludo totius collectiui in uniuerso nullam esse usucapionem. Item unam & eandem rem eodem tẽpore bis et difformiter usucapi non posse. Item quæcunq; per se usucapiuntur in concreto non usucapi: & contra, quæcunq; in composito seu mistim usucapiuntur, per se separatim non possideri nec usucapi, ut hic & d. l. eum qui supra eod.

NON obstat quod totum collectiuum, uelut grex, potest uendicari d. l. i. in fi. cum l. seq. de rei uend. quia respondeo, quod uendicatio est uniformis ad arbitrium actoris: uel enim totũ petit, uel partẽ duntaxat, nõ utrũq; simul & difformiter, ut in usucapione contingeret, quæ nõ solũ ab intentione hominis, sed etiam a dispositione legis regulatur l. iij. supra eo. & sic diuersa ratio diuersitatem iuris inducit l. interpositas. C. de transac. l. fina. de rit. nuptia. cum uulgari. Laus deo.

Gribaldus Paduæ dictabat Calendis Iunij. 1552.

MATTHEI GRIBALDI

Iurisconsulti Cheriani, Ius Cæsareum in celebri patauino Gymnasio ex ordine profitentis, in l. si is qui pro emptore, de usucapione perutilis interpretatio.

IVLIVS PAVLVS PATAVINVS

Secundum uulgatam editionem.



SI is qui pro emptore posside- bat, ante usucapionẽ ab hostibus captus sit, uidẽdũ est an hę redi eius procedat usucapio? nã interrumpitur usucapio, & si ipsi reuerso nõ prodest, queãdmodũ hære di eius proderit. Sed uerũ est eũ in uita sua desiisse possidere, ideoq; nec postliminiũ ei prodest ut uideatur usucepisse. Quòd si seruus eius qui in hostiũ potestate est emerit, in pendenti esse usucapionẽ Iulianus ait, nã si dominus reuersus fuerit intelligi usucaptũ, si ibi decesserit dubitari, an per legem Corneliã ad successores eius pertineat, Marcellus posse plenius fictionẽ legis corneliæ accipi, quemadmodũ. n. postliminio reuersus plus iuris habere põt in iis quæ serui egerũt, quàm in iis quæ ꝑ se uel per seruũ possidebat cũ ad hostes ꝑuenerit? nam hęreditates in quibusdam uice ꝑsonæ fungi receptũ est, ideoq; in successoribus locũ nõ habere usucapionem.

HAEC ſunt uerba legis cõmuniter publicata, quæ quàm perperã et inemẽdate hactenus apud omnes recepta ſint, ex ſequentibus commentarijs deo bene fauente, luce clarius apparebit.

AD quorũ euidentiam præmitto ius ciuile ſemper in hoc ſollicitũ fuiſſe, atq; perpetuo aduigilaſſe ut ſtatum ciuium romanorum pro republica pugnantium integrum & incolumen conſeruaret, neq; enim Iuris aut æquitatis ratio patitur cuipiam officium ſuum damno uerti. l. ſed ſi quis ex ſignatoribus quemad. teſta. aperi. l. ſi ſeruus. §. ꝙ uero de furtis. proinde captis ab hoſtibus ne eorum iura captiuitate læderentur, duplici remedio ſuccurſum eſt, Cũq; id per ueritatem lex efficere non poſſet, ſuadente æquitate per imaginẽ introduxit: ſicq; poſtliminij & legis Corneliæ fictiones introductæ ſunt. §. ſi ab hoſtibus Inſt. quib. mod. ius patr. pot. ſol. l. poſtliminij & l. poſtliminium de capti. et poſtli. re. l. lege cornelia de teſtamen. Qui enim in bello pro republica ceciderunt, per gloriam perpetuo uiuere intelliguntur. §. ſed ſi in bello Inſt. de excu. tuto. l. bello amiſſi. ff. eod. tit. & qui apud hoſtes captiui moriuntur, per legem corneliam iam ante captiuitatem liberi & ciues deceſſiſſe putantur. l. in omnibus & l. bona in princ. de capti. Qui uero ab hoſtibus ad ſuos reuertuntur, retro in ciuitate ſemper fuiſſe iure poſtliminij exiſtimantur: & perinde omnia eis iura integra conſeruantur, ac ſi capti ab hoſtibus non fuiſſent. d. l. poſtliminij & d. l. retro de capti.

SECVNDO præmitto legem nõ fingere nisi ubi æquitas uel necessitas suadere uidetur. l.ij.de capti.l. sciendum.l.deniq; & l.nec utilem ex quib.cau.maio. & ideo ad conseruationem iuris iam quæsiti, & ubi de damno uitando tractatur, etiam in factis lex fictio nẽ inducit. Cæterũ ad aliquid de nouo acquirẽdũ præsertim cũ de lucro aut uoluptate tractatur, legis fictio nõ procedit.d.l.sciẽdũ & l. nec utilẽ et.d.l.in bello.§. factæ & l.Cũ duæ.§.i.de capt.et ideo nauibus longis atq; onerarijs pp belli usum postliminiũ est, nõ piscatorijs uel actuarijs uoluptatis causa paratis.d.l.ij.de capt.

TERTIO Præmitto triplicem esse fictionis speciem scilicet inductiuam, priuatiuam, & translatiuã, inductiua fictio est, per quam lex fingit aliquid esse quod non est, ueluti stipulationem in contractu dotis interuenisse, quæ uere omissa fuit.l.uni.in princ.C.de rei uxo.actio. & pupillarem substitutionem ubi sola uulgaris expressa est, nisi uoluntas testantis refragetur.l.Iam hoc iure de uulga. & in utero conceptum pro nato, & in potestate parentis.l.qui in utero de sta. homi. Priuatiua per quã aliquid fingitur nõ esse quod est, ueluti Monachum, seruum, deportatum, & similes qui uere & naturaliter uiuunt mortuos esse, scilicet quo ad iuris ciuilis effectus.l.deo nobis C.de epi.& cleri.l.quod attinet & l.seruitutem de regu.iur.l. prima.§.pen.de contratabul.l.i.C.de hære.institu.& hæ duæ de præsenti ad præsentẽ statum respiciunt. Translatiua est per quam de præsenti fingitur in præteritũ, ueluti retro liberum in urbe fuisse, qui nunc est, et diu

defunctum qui nunc decessit, & pridem natum qui nuper editus est.d.l.retro & l.in omnibus de capti.l. Gallus.§.si eius cum ibi nota.de libe.& posthum.hæc autem fictio duo extrema habilia requirit, sanè extremum præsens,a quo fictio initiũ capit habile actu, idest uerum & existens.Itẽ extremum præteritum uel (ut appellant)ad quod habile potentia:& sic primum extremum debet esse uerum,etultimum possibile. Ratio primi,quoniam non subsistente fundamẽto ueritatis nihil uere aut ficte superstrui potest.c.cum Paulus. i.q.i.l.egi tecum ubi Castren.not.de excep.rei iudi.Nã a primo fit productio ad secundum extremũ,& quod uere non est produci nõ potest.l. sed si manente de precario.Ratio secundi est, ne lex ultra naturæ potẽtiam aliquid moliri uideatur; nam quod natura negat lex attentare nec audet:et ꝙ in uniuersum per rerũ naturam adinaton est,id nulla arte effici potest.l.ubi repugnantia.§.i.de regu.iur.l.hæredes.§.an ea,famil. hercis.§.minorem natu Inst.de adoptio. cum uulga.

QVARTO præmitto omnem legis fictionẽ induci,ut per eã aliquis iuris effectus immediate sequatur,non ut aliud factum inde resultet.nõ enim æquũ aut rationi consentaneum uidetur multiplex factum eodem casu & respectu fingere,& multa specialia cõtra ueritatem cumulare.d.l.deniq; & d.§.factæ, & l.i.cum ibi not.C.de dot.promissio.& l.cum post.§.gener de iu.doti.Sufficit enim si cui uel in modico faueatur,& aliquid de iure stricto remittatur.l.tutores. §. i.de admi.tuto.l.tutori C.de nego.gest.l.generali C. de

ſacro.eccle.l. ſi quando C.de inoffi.teſta. quemadmo-dum igitur ex actu tacito uel præſumpto non oritur præſumptio, nec fit extẽſio ſecundũ gl. Bal.et Alex.in l.i.in uerbo ſi quis quod quisq; iuris. Deci. in conſil. 416.in teſtamento col.pen.uolu.iij. Sic ex actu ficto alia facti fictio non procedit. & prædicta uera ſunt, ubi de principali fictione tractatur, cæterum in conſe quentiam multiplex fictio toleratur, quoniam cõſecu tiui effectus neceſſarij ſunt,et ex natura actus pro-deunt,ideoq; nec a iure conſiderantur,neq; ullam ha-bilitatem extremorum per ſe requirũt.d.l.qui in ute-ro de ſta.homi. Vbi is qui fingitur natus etiam in po-teſtate per conſequentiá intelligitur tradit hic Bart. & nos infra plenius attingemus.

QVINTO præmitto duplicẽ modũ poſſidẽdi,ſeu duplicem poſſeſſionis qualitatem:alteram quæ animo proprio ipſius poſſidentis retinetur,qualis eſt poſſeſſio quam dominus per ſe ipſum uel colonum uel ſeruum extra cauſam peculiarem habet: ná animo domini et alieno corpore ſeu miniſterio cõſeruatur.l.3.§.quod ſi ſeruus &.§.ſaltus et.l.quod meo ſupra de acquiren. poſſeſſio. Alteram uero, quæ alieno animo et corpo-re retinetur,ueluti per ſeruos aut filios ex cauſa pe-culiari.l. peregre.§.quæſitum de acquirẽ.poſſ. l.pen. de capti. & prior quidem poſſeſſio non peculiaris niſi ſciente domino acquiri & retineri non poteſt.nimirũ quæ ab ipſius animo perpetuo dependet.d.§. quæſitũ &.l.ij.in fi.pro ſoluto &.l.ij.§.procuratorem uerſi. cæterum infra pro empto.quicquid glo.Bartol. & ſe-

quaces aliter senserint in .l.i.§.itẽ acquirimus de acqui.poss.ut & infra fusius ostendemus. Peculiaris autem.possessio utilitatis gratia etiam ignoranti domino;acquiri & conseruari potest,ne scilicet peculij concessio inutilis redderetur interpellata omni momento & actu domini uoluntate.d.§.quæsitum.

SEXTO & Vltimo præmitto hanc legẽ siue Paulo siue Caio ascribatur,adeo perperã & obscure fuisse conceptam siue id compilatorum,siue librariorum culpa contigerit, ut uarie a doctoribus nostris & legatur, & intelligatur:nec ex eorum uel interpretum dictis ullus sanus et explicatus sensus colligi possit.Nam principiũ usq; ad uersi.(quod si seruus)nullã habet difficultatem. Cæterum a dicto uersic. usque in finem legis propter literæ defectum, in qua nonnulla uerba necessario desiderari uidentur,interpretes & doc. plurimum uariarunt.Quidam enim textum in finalibus uerbis affirmatiue legunt,& uersiculum quẽadmodum &c. non interrogatiue sed comparatiue,quã nos opinionem ut pote ueriorem semper amplexi sumus,& aperta ratione deffendimus.Alij uero dictionem illam quemadmodum interrogatiue accipientes,et Marcello impingentes,literam negatiuam crebriore calculo statuerunt hoc modo, & ideo hæredi non procedere usucapionem quam sententiam, licet magis communem, euidentissimis rationibus conuellemus.

DIVIDITVR principium huius legis usq; ad §. si seruus, in duas partes, in prima usq; ad uersicul. (quod si seruus) iurisconsultus de amisione possessionis nõ peculiaris disserit, in secunda a prædicto uersi. qp si seruus usq; in fi. de peculiari possessione pertractat tam iure postliminij quàm legis corneliæ fictione seruanda.

HOC breuiter intendit, captiuitate possessoris possessio non peculiaris amittitur, & Vsucapio interrumpitur, nec postliminio aut lege cornelia reparatur: possessio uero peculiaris, & cætera iura tam postliminio quàm lege cornelia conseruantur.

FACTI species iuniorum gratia sic fingi potest. Titius ciuis Romanus rem non peculiarem bonafide emptam per se uel alium possidebat, usuq; capiebat: interea pro republica pugnãs, & ab hostibus captus, post dies aliquot hostium potestatem euasit: utrum dimissus, an ui doloue elapsus nihil interest. l. nihil de capti. & ita ad suos reuersus est. neque enim satis ab hostibus effugisse nisi animo ad suos reuertẽdi et perpetuo commorandi ut ibi dicitur. Ex præmisso themate in prima parte duplex quæstio proposita est: prima utrũ reuersus fictione postliminij omnia iura sua pristina ita recuperauerit, ut etiam possedisse atq; usucæpisse perpetuo uideatur. secunda si idem apud hostes decesserit, utrum eius hæredi possessio & usucapio legis corneliæ fictione conseruentur. Ad hæc Paulus respondit captiuitate possessoris in rebus nõ peculiaribus statim possessionem amitti, & usucaplonẽ interrumpi, et con

sequenter neq; ei reuerso postliminium, neq; hæredibus eius legem corneliã prodesse. Dubium faciebat in hac prima parte, quoniam postliminium reponit captiuum ab hostibus reuersum in pristinum integrũq; statum omnium Iurium suorum perinde ac si captus nũquam fuisset. l. postliminij in princ. & l. in bello. §. codicilli in fi. de capti. Ideoq; reuersus statim ius possessionis & usucapionis recuperare deberet. Ratio decidendi fuit, quoniam fictio postliminij iura duntaxat, quæ in pendenti manebant, restituit. d. l. postliminij & d. §. codicilli & l. bona de cap. Possessio autem suspendi non potest, quoniam magis facti, quã iuris est. l. i. §. Si uir uxori de acqui. posse. l. i. §. Sceuola si quis testa. liber esse iuss. fu. l. deniq; ex quib. cau. maio. et latissime probauimus in. l. naturaliter. §. nihil commune eod. ti. & infra deo dante aliquot argumentis euidentissimis cõfirmabimus Ideoq; captiuitate protinus interrũpitur nec postliminio reparatur. d. l. deniq; & d. §. facte & consequenter sublata possessione tollitur usucapio, ipsius possessionis effectus inseparabilis. l. sine possessione supra eo. Quare autem facta non suspendantur, quemadmodum & iura, infra suo loco dicemus.

IN secunda quæstione primæ partis dubium faciebat, quoniam & si ipsi captiuo reuerso postliminiũ quo ad possessionem et usucapionem nõ prodesset, attamen lex cornelia eius hæredi prodesse deberet. Tum quia lex cornelia (secundum Marcellum) plenius operatur, quám postliminium, ut in secunda parte communiter legitur, Tum etiam quoniam possessio natu-

rali morte possessoris interrupta adhuc eius hæredi cōtinuatur, usucapio q; procedit. l. possessio infra eod. §. diutina inst. de usucap. Ratio decidendi fuit, quoniam non magis hæredi fauendum est, quàm defuncto. l. in omnibus officijs. §. non debeo de regul. iur. igitur ubi postliminium defuncto nō profuisset, lex cornelia eius hæredi prodesse non debet, ne melioris sit conditionis causatum quàm sua causa. d. §. non debeo & auc. multomagis C. de sacro. eccle. bonus tex. in. l. nuper uer sic. satis enim absurdum C. de natu. libe. & generaliter omnia ad hæredem captiui pertinent, quæ ipse habiturus esset si postliminio redijsset. d. l. bona uersi. apparet de capti. non obstat ꝙ lex cornelia plenius (secundum Marcellum) operetur quàm postliminium, quoniam respondetur Marcellum non id uoluisse, neque eius uerba, sic interpretanda esse, porrò qui intellexerit legem corneliam plenius accipi posse, quàm scilicet nonnulli iuris prudentes existimarent: nempe qui Iuliano referēte temere dubitabāt, an lex cornelia in peculiaribus locum haberet ubi postliminium militabat; cum tamē notissimi iuris sit eiusdem potestatis esse legem corneliam in hærede, cuius postliminium in defuncto fuisset. d. l. bona & d. §. si ab hostibus inst. quib. mod. ius pat. pot. sol. Parum etenim fuisset defunctofauere dū uiueret, & nullam præterea sui hæredis rationem habere: cum plerunq; homines non tantum sibi sed et hæredibus suis caueri consuli q; desiderent. l. si pactū de probatio. l. scripto unde libe.

SVCCESSIVE quæsitum fuit, & hoc in secunda parte legis an saltē possessio ante uel post domini captiuitatē per seruos uel filios peculiariter acquisita postliminio et lege Cornelia cōseruaretur?et ab omnibus in postliminio affirmatū est: quo uero ad legē corneliā Multi(ut Iulianus ait) dubitarunt.et dubitādi ratio fuit,quoniā nō æque fauendū uidebatur hæredi, qui de republica nihil meritus fuisset,atq; ipsi defuncto qui pro patria pugnando seruus hostiū factus esset.d.l.postliminij.§.in parte de cap.Verū Marcellus doctissimus iuriscōsultus,qui in Iulianū notas edidit.l.uerū.§.sciendū et.§.seq.de min.l.si pupillus de acqui. hæred.l.Marcellus de uerb.signi.(tantū abest ut ipse a Iuliano corrigatur,ut doct.nostri perperā opinātur)dixit legē Corneliā plenius accipiendam quàm illi existimarent, & consequenter non modo postliminium sed & legem corneliam in peculiaribus locum habere.& decidendiratio fuit secundum Marcellum, quoniam quemadmodum plus iuris habet dominus postlimio reuersus in Iis quæ serui eius peculiariter egerunt,quā in his quæ Idem per se uel seruos non peculiaiter possidebat: sic & hæreditas quæ multis in casibus personam defuncti repræsentat.l.hæreditas in multis de acquiren. rerum domin. plus quoque iuris in peculiaribus habet,quàm in non peculiaribus.Igitur in Iis etiam hæredi possessio & usucapio continuante fauore & contemplatione defuncti, cuius plurimum interest successorem habere per quem eius honor & memoria conseruentur.l.& quia de interrogat. actio.l.liberorum in fine de uerborum significat.l.

quoniam uenerabilis in fine C. de episcop. & cleri. §. i. Insti. quib. manu. non licet. unde eleganter dicebat insignis doctor Antonius Corcet. siculus in proœ. suorum singularium, triste & turpe esse uiro diuiti sine hærede decedere. & Ideo fauor qui defuncto debetur, solet quoque eius hæredi a quo personaliter repræsentatur, regulariter adhiberi in auctentica de Iureiu. a mori. præsti. in princip. cum alijs Vulgaribus. & hic est uerus & germanus sensus huius facillimæ legis statuendo literam affirmatiuam, quæ tamen hactenus difficillima fuit reputata.

CAVSAM uero difficultatis, quæ omnium doctorum turbauit ingenia, paucis referemus, nam offensi sunt omnes quodam responso Claudij Triphonini celebris iurisconsulti in. l. in bello. §. facti de capti. Vbi relata controuersia inter Iulianum & Marcellum de possessione per seruos quæsita et retenta, cum Iulianus diceret legem corneliam in ea locum habere, Marcellus uero nihil referre an per se uel per seruos quis possideret, & consequenter non procedere, Claudius Iuliani sententiam approbauit. proinde quemadmodum Iulianus ibi Marcello in hanc specie prælatus fuit: ita & hoc loco præferendum omnes putarunt Marcellumque ab ipso Iuliano recte reprehensum. quod sanè perridiculũ est, cum Marcellus lõge posterior Iuliano fuerit, ipseq; in Iulianũ notas ediderit, ut supra ostendimus, neque Marcelli uspiam meminit Pomponius, qui tamẽ Iulianum commemorat in. l. ij. in fi. de origi. iur. Præ=

terea quicquid alibi Iulianus senserit, negari non potest quin in hac. l. Marcelli opinio sit præferenda, cum Iulianus postliminium quidem in peculiaribus admiserit, cæterũ de lege cornelia uel dubitauerit, uel quod uerius est, nihil deffinierit: Marcellus uero legem corneliam plenius acceperit etiam hæredi procedere aperta ratione determinans. Quamobrem ut iura iuribus, & ipsos præsertim consumatissimos iuris authores inuicem conciliemus, ne in re tam clara errasse tam facile uideantur: dicendum est in primis Iulianum grauissimum & doctissimum Iurisconsultum hoc loco de lege cornelia in peculiaribus minime dubitasse, cum ipse eundem casum toties & aperte deciderit ut in. d. §. facti & in. l. bona. §. quæ peculiari de capti. Verum (ut insignis doctor Iacobus ab Arena a nullo hactenus animaduersus hic egregie sensit) alios quosdam addubitãtes retulisse, quos Marcellus iuste notauit. et si instet aliquis cur Iulianus eã dubitationem hoc loco uelut alibi non definiuit? Responderi potest id compilatorum opera factum, qui Marcelli uelut posterioris et rationem reddentis potius quàm Iuliani sentẽtiam referre malluerunt: cum tamen plusquam uerosimile sit Iulianum idem quoque sensisse & determinasse. ecce iam ipsos iurisconsultos ab omni controuersia probe uendicatos. Ad tex. Claudij in. d. §. facti notabiliter respondetur Iulianum & Marcellum, si sane & distincte intelligãtur, in eodem casu minime dissensisse: sed potius in diuersis casibus esse locutos. nempe cũ Iulianus in priore casu aperte dixisset, domino per se possidenti usucapionem captiuitate interrumpi, nec postli=

minio conseruari:postea in sequenti casu paulo obscurius locutus est, ita ut eius uerba in duplicem sensum trahi facile possint sic enim habent. Eorum uero quæ per subiectas iuri suo personas posside-bat usuq; capiebat, uel si qua postea peculiari nomine comprehenduntur, hæredi suo tẽpore impleri usucapionẽ. et cætera. Marcellus existimans Iulianum in priore clausula usq; ad uersi. uel si qua postea, loqui de non peculiaribus, quem admodũ & in casu præcedenti in persona domini definierat, oportune notauit nihil interesse an ipse dominus per se, an per subiectam personam possideret: quoniam utroq; casu possessio domini animo seruaretur. d. l. iij. §. saltus de acqui. possessio. & consequenter ipsius captiuitate & possessionem & usucapionem interrumpi, ut in prima parte huius nostræ legis recte definitur. atqui Iulianus in tota ea clausula de peculiaribus sensit, et qualitatem illam peculiari nomine in calce totius orationis positam, ad primum quoque casum retulit: ita ut prædicti casus non qualitate sed solo tempore distinguerẽtur. Igitur siue ante captiuitatẽ domini peculiaria per seruos possiderentur, siue pendente captiuitate quæsita essent, Vtroq; casu procedere hæredi usucapionem & legem corneliam locum habere Saluius recte definiuit, quãquã a Marcello perperam intellectus illa alternatiua uel inter similia & eiusdem qualitatis existentia regulariter posita censetur. l. prima de rebus dub. l. prima de re iudicata. licet Iason hic quibusdam leuibus argumentis Iulianum errasse contendat, sed fru=

ſtra. Quoniam in dubio uerba cuiuſque oratio=nis ita congrue & diſtincte intelligi debent ut omne uitium loquentis excludant. l. Plautius de auro et argento legato. c. inter dilectos. §. cæterum de fide inſtrumentorum. ex quibus patet Iuliani & Marcelli controuerſiam non in iure ſed in facto fuiſſe: quoniam Marcellus de non peculiaribus, Iulianus de peculiaribus ſenſit, & uterque in caſu ſuo recte definiuit, ut ex ſequentibus latiſſime patebit. proinde ſequitur ad utrumque Triphonini ſententia correſpondens Iis nimirum uerbis cum aduerſatiua copulata prolatis, ſed & Iuliani ſententia ſequenda eſt, ut in caſtigatis legibus inuenitur.

EX prædictis ſatis ſuperque omnem in hac lege difficultatem ſublatam puto, auſimque dicere nequaquam aliter poſſe huiuſcemodi uorticoſas ſymplegades ſuperari. Quod ſi quiſquam omnino refractarius, & ab ingenuitate penitus alienus hæc noſtra, quanquam ueriſſima Immo & neceſſaria interpretamenta impudenter contemnat, mallitque in tenebris cæcutire, quàm beneficium lucis ab alio recognoſcere ualeat, ſane' is & ſibi ſuo more ſapiat, mihi ſatis eſt bonis animis meam bona fide operam præſtitiſſe. Cæterum ne ſtudioſi iuuenes uulgari & corrupta lectione amplius offendantur, legem ipſam in integrum ſenſum reſtitutam hoc loco ſubijciendam eſſe putaui.

PAVLVS.

SI is qui pro emptore per ſe uel ſeruũ ex cauſa non peculiari poſsidebat, ante uſucapionẽ ab hoſtibus captus ſit, uidendũ eſt an hæredi eius procedat uſucapio. Nã ei interrumpitur uſucapio, & ſi ipſi reuerſo non prodeſt, quẽadmodũ hæredi eius proderit? Ideoque nec poſtliminiũ ei prodeſt, ut uideatur uſucepiſſe; nec hæredi eius legis corneliæ fictio. Quod ſi ſeruus eius, qui in hoſtiũ poteſtate eſt, ex cauſa peculiari emerit, in pendẽti eſſe uſucapionẽ Iulianus ait. nam ſi dominus reuerſus fuerit intelligi uſucaptum, ſi ibi deceſſerit a nonnullis dubitari an per legem Corneliam ad ſucceſſores eius pertineat, Marcellus poſſe plenius fictionẽ legis corneliæ accipi, quemadmodum enim poſtliminio reuerſus plus iuris habere poteſt in Iis quæ ſerui peculiari nomine egerunt, quàm in Iis quæ per ſe uel ſeruum ex cauſa non peculiari poſsidebat, cum ad hoſtes peruenit: Sic hæredes eius legis corneliæ fictione. Nam hæreditates in quibuſdam uice perſonæ fungi receptum eſt, Ideoque ſucceſſoribus locum habere uſucapionem.

HAEC *ſunt uerba legis reſtitutæ, & ab omni uitio uendicatæ, cuius ſententiam ut modis omnibus planam facerem, etiam numeris facillimis explicaui, quos*

& uoluptatis & utilitatis gratia subiungere non recusaui.

CARMEN PARAPHRASTICVM.

SI is, qui rem per se, aut seruum, non iure peculi
Emptoris titulo retinens, sit captus ab hoste,
An usucapio hæredi procederet eius
Quæsitum est: & sanè ipsi interrupta reuerso est,
Nec postliminio reparatur, fictio namq;
Legis, facta nequit semel interrupta referre.
Quòd si non illi ualet hæc prodesse reuerso
Fictio, quo pacto cornelia proderit eius
Hæredi? cum non possit plus iuris habere
Successor, quàm re in propria defunctus haberet.
Quòd si captiui seruus rem iure peculi
Emerit, hoc casu domino quæsita reuerso
Lex postliminij conseruat iura. Sed utrum
Lex successori pariter cornelia prosit,
Saluius ambiguum nonnullis dixit, at esse
Marcellus legem Corneli plenius inquit
Sumendam, hæredi iura ut quæcunq; reseruet.
Nanq; uelut dominus plus iuris habere reuersus
In rebus potis est, quas serui iure peculi
Interea egerunt, quàm quas possiderat ante
Per se uel propros seruos non iure peculi.
Successori eius sic lex cornelia prodest,
Vniuersalis siquidem successio, multis
Casibus hæredi conseruat iura futuro.
Personam ac domini defuncti sustinet ergo.
Hæredes etiam capere usu posse fatendum est.

VNIVERSAE

VNIVERSAE legis scopus in hoc consistit, ut inter res nō peculiares et peculiares quo ad modū usucapiendi differentia cognoscatur. In peculiaribus. n. postliminium & legem Corneliā prodesse, ut possessio & usucapio conseruentur: secus in non peculiaribus. Et quoniam omnis difficultas circa intellectum legis uersatur, loco eorum quæ ex ipso textu per doctores solent adnotari, ego nouo quodam ordine ex singulis uerbis conclusiones eliciam, quibus exacte explicatis uniuersa fere materia cum suis difficultatibus enucleata patebit.

PRIMA igitur ex hoc tex. elicitur conclusio, ꝙ titulus emptionis aptus est ad usucapionē, quoniā habilis est ad dominij translationem, eo. ti. pro emptore. Sunt autem tituli seu causæ habiles ad usucapiendū fere quindecim pro hærede .l.i. infra pro hære. pro legato .l.i. infra pro lega. pro donato .l.i. infra pro dona. pro dote .l.i. infra pro dot. pro emptore .l.i. infra pro empt. pro soluto .l.i. infra pro solu. pro æstimato .l. sed et si. §.i. de publici. l.iij. infra pro empto. pro noxæ dedito .l.ij. de publicia. pro iudicato .l.iij. in fi. de publicia. pro iurato. l. eum qui. §. si petēti de publicia. pro trāsacto .l. pen. C. de usuca. pro emp. l. cū solus infra eo. pro permutato. l. eum qui. §. i. uersi. sed & si permutatio de publicia: pro derelicto .l.i. infra pro derelict. pro diuiso. l. pen. §. si pater secūdū unum intellectū infra pro suo .d.l. cum solus cum gl. in uerbo habet infra eo. sunt tamen qui putent ex

diuisione titulum non haberi; sed ex causa propter quam ipsa diuisio fit, cũ sit actus deseruiens causæ ex qua dominium competit, ut patet eo. ti cõmu. diui. & famil. hercis. cum simi. Vltimus titulus est pro suo, qui et generaliter cum omnibus alijs causis concurrit, & specialiter ubi iusta causa possidendi subest, quæ alium titulum peculiarem non habet. l. i. cum ibi not. eo. ti. pro suo. Titulum pro possessore non cõnumero, quoniam iniustus est, & prædoni competit: & ideo ad usucapiendum uel præscribendum non prodest. l. pro hærede. § fina. cum duabus sequen. de petitio. hæredi.

ET omnes prædicti tituli seu causæ habiles sunt ad dominij translationem. Nam si tradens sit dominus dominum recta uia transfertur in accipientem: si nõ sit dominus saltẽ usucapiendi cõditio trãsit. l. clauibus de contrahẽ. empt. l. si finita. § Iulianus secundum uerum intellectum de dam. infect. l. prætoris cum gl. in uerbo capere eo. ti. Omnis enim actus secũdum qualitatem & potentiam agentis regulatur. l. traditio de acqui. re. domi. l. ex empto de actio. emp. l. nemo plus iuris de regul. iu. cum uulgaribus. Hinc colligitur ratio, quare non ualet uenditio cum pacto ne dominiũ transferatur. l. cum manu sata § fin. de cõtrahen. emptio. quia tale pactum repugnat naturæ ipsius uenditionis, & eius principalem effectum extinguit. Et si dicatur quomodo potest non dominus malafide rem possidẽs, nec usucapere ualẽs, ius usucapiẽdi quod non habet, in alterum transferre, contra regu. dictæ l.

traditio & d.l.nemo plus iuris? respondeo ius usucapiendi ex persona tradentis non transferri, sed in titulo & bonafide accipientis fundari, & in eius persona inchoari d.l. clauibus cum præallegatis. nec enim malafides tradentis bonæfidei ipsius accipientis nocere debet, ut inquit elegans Marcellus in.l.eum qui.§ prætor ait de publicia. Quando autem malefides authoris noceat uniuersali uel singulari successori, & de intellectu auctenticæ malefidei. C. de præscriptio. longi tempo. & de communi doctorum resolutione in materia, quia non est præsentis speculationis, uide latissime per insignem iurisconsultum & senatorem dignissimum dominum Franciscum Balbum Turinensem in suo absolutissimo tractatu præscriptionum, in secunda parte tertiæ partis principalis, in.xij.questio.

NVNC uero circa titulum emptionis, de quo loquimur, sciẽdum est, quòd hic titulus pro emptore in multis differt a cæteris titulis. Nam cum in cæteris actibus ad usucapiendum uel præscribendum sufficiat titulus putatiuus iusto errore causatus.l. Celsus, ubi dixi, infra eo.tamen solus titulus pro emptore iustissimum in superlatiuo gradu errorem desiderat secundum glo.& doct.in.d.l.Celsus, & in.l.ij. in princ. &.l. quod uulgo infra pro empto & in.l.iij pro soluto.nec in hoc titulo error in facto proprio etiam probabilis releuaret, qui tamen in alijs sufficeret, ut in.l. iij.&.l.fi.infra pro suo.

ITEM in alio differt a ceteris, quoniam in illis sufficit bonafides tempore traditionis: in emptione uero bonafides utroq; tempore desideratur, scilicet contractus & traditionis. l. si aliena in princ. supra eod. d. l. ij. pro empto. d. l. iij. pro solu. & l. traditionem de publicia: acti: Ratio differentiæ assignatur per glo. & Bartol. in. d. l. ij. scilicet propter frequentiam contractus argu. text. in. l. iusto in princip. infra eod. & in. l. aut facta. §. fin. de pœnis. Sed hæc ratio persuasiua tantum est, non concludens. Nam & mutuum et stipulatio frequentissimi sunt contractus. l. certi. §. si numos si cer. peta. doct. in rub. de uerb. oblig. Alij quoniam contractus est bonæfidei, in quo bona fides exuberare magnopere debet. §. actionum Insti. de actio. l. in bonæfidei cum ibi not. de eo ꝙ cert. lo. l. ex empto de actio. emp. sed nec ista ratio satisfacit, cum etiam per alios bonæfidei contractus dominium trāsferatur, ueluti permutatione, societate, diuisione, & similis. d. §. actionum: tamen istud in sola emptione requiritur. Aliam rationem uidetur ponere iurisconsultus in. §. fi. huius legis ibi, quia concessum est stipulari rē, quæ promissoris non sit, scilicet etiam scienter: Nam & res aliena ignoranter emi, atq; usucapi potest. l. rem alienam de contrahen. emptio. igitur rem alienā scienter emere non licet. Verum hæc ratio est eadem cum dicto de quo quæritur: factum enim non facti causam declarat, & huiuscemodi rationes imperfectæ ac primariæ, sæpe a iureconsultis reddi solent, ut in. d. l. ij. pro soluto, & in. l. quartam in princip. ad. l. falcidi. & l. re coniuncti secundum intellectum Bar.

de leg.iij.& l.Labeo cum gl.supra hoc eo.ti. Quare tu animaduerte, an dici possit, ideo in solo contractu uẽditionis & emptionis bonam fidem utroq; tempore requiri, quoniam nullus alius reperitur contractus dominij translatiuus, qui bonæfidei sit, & duo tempora distincta habeat, scilicet cõtractus & traditionis, præter emptionẽ. solo enim consensu perficitur, & tẽpore pacti omnem uim & substantiam capit.l.consensu de actio. & obligatio. nilmirum sibi bonafides etiam ab initio requiratur. d.l.si aliena, subaudiendo ibi dictionem etiam ante uerbum traditionis, ut glos. recte declarauit. Nam & a primordio tituli omnis posterior formatur euentus, ut eleganter diuus Theodosius censuit in.l.uni.in fi.C.de impo.lucra.descriptio lib.x.

SECVNDA elicitur cõclusio ibi (Nam ei interrumpitur) quod captiuitate possessoris etiam ciuilis nedum naturalis possessio interrumpitur.l.cũ hæredes. §.i.de acqui.poss.l.naturaliter supra eo.d.l. deniq; ex quib.cau. maio. Ratio redditur ab ipsis iureconsultis. Nam bello captus iuregentium seruus hostium fit.l.ex hoc iure de iusti.& iu.l.postliminij.§.in pace & l. hostes in fi.de capti. Igitur qui alterius seruus est, nihil sibi possidere potest, cum ipse ab alio possideatur.l.i.§.sed & per eum de acqui. poss.l. neq; seruus supra eo.l.sic eueniet de adulte.l. qui in seruitute de regu.iur. & generaliter quo ad iuris effectus seruus pro mortuo habetur.l.quod attinet & l. seruitutem de regu.iur.

QVARE autem seruitus ex hostili captiuitate, etiam à iure ciuili Quiritum approbata fuerit, non ab re quæri solet. Sciendum est enim eos populo Romano legitimos hostes fuisse, qui nondum armis uicti, neq; subiecti, de imperio pari iure certabant, ueluti Germani, Parthi, et Carthaginienses antequam à Scipione debellati essent: & generaliter omnes si quibus bellum publice populus Romanus decreuerat, uel ipsi Po. Romano, hostium numero habebantur. Cæteri uero latrunculi, uel prædones appellabantur, ita Vlpia. in. l. hostes de captiuis. Publica ergo utilitas suasit, ut inter hostes, fides, fœdera, conuentiones q; inuicem seruarentur. C. noli. xxiij. quæstio. i. Bartol. in suo tracta. quæstio. in secunda quæstione: & captiui ad usum potius capientium custodirentur, quàm occiderentur. §. serui autem Instit. de iu. perso. Communis enim ratio, & naturalis æquitas dictant, quicquid a natura propagatur, magis ad obsequium & utilitatem hominis conseruari debere, quàm per deprauatā animi libidinē sine utilitate corrumpi. Accedit etiam spes commutationis, quandoquidem (ut ille ethnicus ait) etsi in omnibus, tum in bello maxime fortuna dominatur. Igitur belli commertium ita tulit, ut cū aliquando uicti uictores fierent, etiam captiui commutarentur, inuicem q; redderentur. Sic Attilius Regulus a Carthaginensibus captus Romam pro commutandis captiuis missus est. d. l. postliminij. § si. de capt. Sic Aeneas ob Pallantis necem uehementer irritatus, cum a Turni milite de uita & salute, quasi ex usu et commertio belli precibus tentaretur, respondit, Belli

commertia Turuns sustulit ista prior iam tum Pallante per empto. Sed de his satis.

PRAEDICTA conclusio, quòd captiuitate possessio interrumpitur, per modernos singulariter limitatur, ut forte non procedat in captiuitate momentaria, quoniam actus momentarius & perfunctorius non consideratur.l. qui sic de solutio.l.qui possessionem de ui arma.l.pleriq; de rit. nuptia.l.quicquid calore de regul. iur. bonus text.in.l.fin. in fine C.de bon. quæ liber. Ego puto distingui posse, aut captiuus intra hostium præsidia deductus non fuit, sed durante adhuc ipso conflictu recuperatus est, uel quouis modo hostium manus euasit: & tunc procedat limitatio, quoniam effectus captiuitatis non fuit consumatus dicta.l. qui possessionem, ubi recuperans illico possessionem, qua per uim deiectus fuit, non dicitur illam amisisse, sed perpetuo conseruasse. Aut captus intra præsidia hostium deductus fuit iuxta.l.postliminij in princip. de capti. & tunc licet post conflictum euaserit, quia tamen captiuitatis effectus consumatus fuit, possessionem amisit. Nam in effectibus consumatis & perfectis actus etiam momentarius consideratur.l. uxoris abortu.C.de posthum. hæredib. Instit. & in terminis nostris possessorijs est casus in l. si quis ui. §. differentia in fine de acquiren. possessione. Vbi tradens possessionem, ut eam recuperet, illam amittit: quoniam in possessione actus traditionis effectum consumatum produxit.

Nam ſolo animo, etiam ſi quis corpore adhuc inſiſtat, ſi tamen poſſidere nolit, poſſeſſionem amittit. l. iij. §. in amittenda & l. i. §. ſi uir & l. non quemadmodum ſupra de acqui. poſſeſſio. Ad l. qui ſic de ſolutio. Reſpõdetur, quod licet actus ſolutionis ibi fuerit definitus, tamen ex animi ſimulatione proceſſit. Vnde talis actus effectu caruit, non ratione quidem (ut ita loquar) momentaneitatis, ſed ſimulationis. to. tit. plus uale. quod agitur. & facit text. in. l. plerique de rit. nuptiarum.

SED hic cadit notabilis difficultas, cum omnia captiui iura captiuitate non interrumpantur, ſed uirtute poſtliminij ſuſpendantur. d. l. in bello. §. Codicilli de capti. d. §. ſi ab hoſtibus Inſti. quib. mod. ius pat. poteſt. ſolui. Cur tamen ciuilis poſſeſſio, quæ iuris eſt, & per ius diffinitur ſecundum docto. communiter in. l. i. in princ. de acqui. poſſeſſio. non ſtat in pendenti, ſed prorſus interrumpitur? Ad hoc (quicquid doctores noſtri reclament) aliter reſponderi non poteſt, niſi poſſeſſionem etiam ciuilem facti magis eſſe, quàm iuris. Cum ſit actus animi, non ab ipſa lege, ſed ab homine continue dependens, nec a iure definitus, ſed in facti perſeuerantia & uſu conſiſtens. l. ſeruitutes de ſerui. urba. prædio. l. quæſtio in fi. de uerbo. ſign. l. bonæ fidei §, i. de acqui. rer. domi. l. deniq; ex quib. cau. maio. l. i. §. Sceuola ſi quis teſta. lib. eſſe iuſſ. Proinde communem opinionem ſemper falſam eſſe putaui, ut ex ſequentibus facile patebit.

PRIMO per text. in. d. l. deniq;, ibi plurimum facti habet. Et in. d. §. Sceuola, ibi quia facti est. Et in. d. §. si uir, ibi quoniam res facti. Et in. l. bonæ fidei. §. i. ibi illud ad factum pertinere. Et in l. in bello. §. facti de capti. & in. l. i. §. i. ibi eam rem facti non iuris esse. Cum infinitis similibus. nec ualet doctorum interpretatio distinguentium inter possessionem, prout acquiritur, & prout quæsita est, considerata m, quoniam omnia prædicta iura, quæ simpliciter dicunt possessionem esse quid facti, de quæsita et formali possessione loquuntur, ut facile constat.

SECVNDO, quoniam possidere & possessio conuertuntur. l. possessio, ibi possidere non possum quia possesio. et cætera de acqui. possessio. sed possidere est facti, cum actum significet, igitur & possessio. Omne enim uerbale nomen ab aliquo uerbo immediate procedens, nõ ius sed factũ significat, ut patet in termino Actio, quando a uerbo ago immediate deducitur. auc. quas actiones. C. de sacro. eccle. secus quando est terminus primitiuus, quia tunc ad ius non ad factum refertur. Inst. de actio. in princip. sic etiam stipulatio facti est, non iuris. l. 5. §. stipulatio, de uerbo. obligatio. omnes enim contractus facti sunt. l. cõsilio in fi. de cura. furio. sic aditio hæreditatis facti est, quia ab animo hominis dependet non a iure. l. pro hærede. l. aditio & l. gerit de acqui. hæred. & tamen stipulari, possidere, adire, sunt uerba a iure qualificata, & solemnia, & iuris effectum immediate producentia. & Ideo seruus neque stipulari, neq; possidere, neq;

adire ſuo nomine poteſt.l.ſtipulatio iſta habere.§.hæc quoq; de uerbo. obliga.l.quod ſeruus ad fi.de acquir. poſſeſ.d.l.aditio de acqui.hære.

TERTIO, quoniam ſecundum crebriorem ſentētiam duæ ſunt poſſeſſionis ſpecies,ſcilicet ciuilis, quæ ſolo animo: Naturalis, quæ etiam corpore retinetur. l.iij.§.Neratius de acqui.poſſeſ.l.ij.§. quod uulgo pro hære.l.i.§.deijcitur de ui armat.l.nemo.C. de acquir. poſſeſ. Sed impoſſibile eſt dari duas conſpecies diuerſi generis,& conſequēter aut utraq; poſſeſſio erit iuris, aut utraq; facti. Cōſtat autem naturalem poſſeſſionem eſſe facti.l.i.in princ.de acqui.poſſe.l.pupillus de acqui.re. domi.ergo & ciuilem facti eſſe oportet,licet a iure magis probatam & qualificatam.

QVARTO, quemadmodum a naturali poſſeſſione, quæ facti eſt, oritur effectus iuriſgentium, ſcilicet immediata dominij acquiſitio eorum, quæ in nullius bonis ſunt.d.l.i.in princ.de acqui.poſſ.& Inſti.de rer.diuiſio.§.ſingulorū: Sic ex ciuili poſſeſſione oritur effectus iuris ciuilis, ſcilicet acquiſitio dominij mediante uſucapione, ſeu præſcriptione.l.iij.&.l.ſine ſupra eod.to. tit.C.de præſcriptio. lon.tempo. Porro iuris effectus ex factis oriri conſueuerunt.l.licet.§.ea obligatio de procurato.l.ſi ex plagis.§.in cliuo ad.l. aquil. cum uulga.

QVINTO, ius alicui competens certum eſt, ac ſtabile,nec quolibet momento interpellatur.l.ſeruitu-

tes de ſeruitu.ſed poſſeſſio quandoq; certa non eſt, & quolibet momẽto interpellari põt.d.l. nemo ambigit. C.de acqui.poſ.l.naturaliter ſupra eo.et hic in princ.

SEXTO, In iuribus nõ cadit uiolentia, & ideo Iura ſemel nobis quæſita per uim a nobis auferri non poſſunt.l id quod noſtrum de reg.iu.l. debitorum,quã habui in punctis.C. de pact.l.ſequitur.§ ſi uiam, ibi nec de uia quis mero detruditur ſupra eo.ſed poſſeſſio etiã ciuilis per uim auferri poteſt,quoniã facti eſt.l.i.§.deijcitur.et.§.ui poſſidere. & l.qui poſſeſſionẽ de ui arma.l.ſi quis in tãtã.C. unde ui cũ uulg.

SEPTIMO, omnia iura captiuitate domini ſtãt in pendenti,nec protinus amittuntur,ut hic,& l.bona §.quæ peculiari.de cap.Sed ciuilis poſſeſſio ſtatim amittitur,nec ſuſpẽdi poteſt,et id nulla alia ratione cõtingit,niſi quia magis facti,q; iuris eſt.d.l.deniq;.et.d.§. facti.&.d.§.Scæuola.

OCTAVO, Iura omnia regulariter et cædi,& trãſmitti poſſunt,etiã citra aliquod facti miniſterium l.in omni.C.qui bo.cæd.poſſ.& patet in iure deliberãdi,& iure accreſcendi,& ſimilibus.l.cum antiquioribus.C.de iu.delibe.&.l.ſi ex pluribus de ſuis & legiti. Sed poſſeſſio,etiam ciuilis,nec cædi,nec tranſmitti poteſt,niſi noua fiat apprehẽſio, et factũ hominis interueniat.l.Cum hæredes in princ.de acqui.poſſe.

NONO, hæreditas iacẽs omnia iura cõſeruat,ut hic in fi.et.l. hæreditas de acqui.re.do.Sed poſſeſſionẽ, quia facti eſt,conſeruare non poteſt.d.§.Scæuola.

DECIMO, iurium donatio inter coniuges prohibetur.l.i.& .ij. de donatio.inter ui.& uxo.sed possessionis donatio non prohibetur,quia facti est.d.l.i.§. si uir uxori de acqui.poss.l.i.§.fi.infra pro donato. ea enim,quæ facti sunt, a iure ciuili impediri non possunt.d.§.factæ de capt. non obstat tex.in.l.inter uirũ de dona.inter ui.& uxo.ubi etiam possessionis donatio non ualet,& in.l.si eum qui eo.ti.ubi uxor rẽ donatam ciuiliter possidere non intelligitur: quoniam respondetur ex donatione mariti possessionem quidem transire,sed reuocabiliter,secundum gl.in legibus præallegatis. est tamen difficile contrarium.

VNDECIMO, si possessio eẽt ius, caderet utique in iuribus,& proprie, quoniã omne simile suo simili facile aggregatur,& in habtẽibus symbolum facilis est conuentio.l.pupillo.§.libertino.de tuto.& curato.dat.l.In rem.§.Item quæcunq; uersic. quia ferruminatio. de rei uendi. Sed possessio in iuribus proprie non cadit.l.seruus.§.incorporales de acqui .rer.domi. l.iij.in princ.de acqui.possessio.d.§.si uiam supra eo. ergo possessio ius proprie dici non potest.

DVODECIMO, si possessio esset ius insistendi,ut communis definitio præsupponit, esset quædam facultas & potentia detinendi rem ab ipso actu insistentiæ uel detentionis separata. Nam dictio ius adiecta gerundio potentiam seu facultatem quãdam sisignificat ab actus exercitio remotã.l.nulli.C.de sentẽ. & interlocutio.l.iij.§.sed quod.iudi.sol.l.fin.de offic.

procu.Cæsa.l.iij §.i.de bo.possessio. Insti. de actio. in princ. & .l.nihl de actio. & obliga.ibi actio est ius persequendi, scilicet cum placuerit.eo.ti.ut nemo inuit. age: & sic non est actualis persecutio. Sed ciuilis possessio perpetuam reiinstentiam uel detentionem actu animi continuatam requirit: alioqui nec possessio dici posset, nec iuris effectum produceret.l.i. & .l.naturaliter. & .l.sine. supra eo.l.ij. & .l. diutina. C.de præscrip.longi.tempo.

DECIMOTERTIO, Iura traditionem non patiuntur.l.seruus.§.in corporales.de acqui.rer.domi. sed possessio uerè et proprie tradi dicitur.l.iij. in prin. de actio.emp.l.non solum.§.qui pignori. & .l.hæres eius infra eod.

DECIMOQVARTO. Reuersus ab hostibus statim recuperat ius de nouo insistendi,et corporalem possessionem apprehendendi.d.l.cum hæredes.§.de acqui.posses. & tamem ciuilem possessionem pristinam non recuperat,ut hic, & .d.l.naturaliter,supra eodem igitur Ciuilem possessionem ius insistendi non esse liquidò constat.

DECIMOQVINTO, Iura omnia licet animo & memoria non retineantur: nunquàm tamen obliuione perduntur, nisi triginta annorum decursu penitus negligantur.l.sicut. & .l.cum notissimi. C. de præscrip.30 anno. Possessio uero ciuilis, nisi animo continue retineatur,statim amittitur, & sola obliuio=

ne aboletur. l. peregre de acquirē. possess. l. furtum §. fundi cum glo. in uerbo uel longo infra eo.

DECIMOSEXTO, dicimus longa possessione ius utendi, uel dominium acquiri. l. apparet. § penul. de itine. actuq; priua. l. locus de acqui. poss. l. iij. supra eo. l. fi. infra eo. l. qui fundum. §. procurator infra pro empto. & tamen non recte dicimus longo iure ius acquiri, sed longo usu, longa consuetudine, longa insistentia, uel detentione, idest continua, diutina, nō interpellata; quæ quidem qualitates non ad ius, sed ad factum referuntur. l. si quis fundum de acqui. posses. l. diutina. C. de præscrip. lon. temp. d. §. diutina Insti. eo. titu. de usucapio.

DECIMOSEPTIMO, Iura etiam incerto modo in alium transferri possunt, ueluti quicquid iuris habeo, tibi cædo. l. si sic. §. i. de leg. i. l. nemo plus iuris de reg. iu. sed quicquid ego possideo per modum incertæ possessionis, in alium transferri non potest. l. iij. § incertam. & l. locus de acquiren. posses. Et ideo constitutum generale & incertum non ualet, nec ullam transfert possessionem secundum communiter doct. in l. quod meo de acqui. posses. late Deci. in consil. ccxxvi. magister Ioannes.

DECIMOOCTAVO, Iura regulariter per filios et seruos uirtute patriæ uel dominicæ potestatis, etiam extra causam peculiarem, ignorātibus & inuitis dominis acquiruntur. l. placet de acqui. hæredita.

§.Item nobis Insti.per quas perso.nob.acquir. Possessio autem etiam ciuilis, ignoranti domino extra causam peculiarem acquiri non potest.l. 1.§. item acquirimus de acqui.poss.l.Iusto.§.fi.infra eo.l.ijpro solu. & plenius infra dicemus.

DECIMONONO, Possessio, quæ animo & corpore alterius retinetur, uelut peculiaris, nō dicitur propriè esse apud dominum possessorem, sed fictè secundum Areti.in l. quod seruus, per illum tex. ibi dominus creditur possidere: Et tamen si possessio ius esset, utiq; uerè & propriè apud dominum possessorem esse diceretur. quoniam in his quæ sunt iuris, fictio legis ueros & proprios inducit effectus secundum Paul. & Areti. in d. l. Cum hæredes, post Bartol. hic in. iij. quæstio.principali.

VIGESIMO, omnis qualitas uel facultas solo animo retenta, dicitur esse facti non iuris, quia actus animi est. d.l.bonæfidei.§ i. ibi illud ad factum pertinere.de acqui. re. domi. Sic naturalis possessio, etiam quando solo animo retinetur, pro actuali rei insistentia communiter definitur secundum Iaso. in. l. naturaliter.§. nihil commune, circa primam oppositio.glo.de acqui.posse. Igitur Ciuilis etiam possessio, quæ solo animo retinetur, actualis est insistentia, licet aliquanto efficacior. nec diuersitatis ratio reddi potest, cum utraq; ab actu solius animi substātiam capiat, continueq; dependeat.

VIGESIMOPRIMO, Possessio proprie nihil aliud est, quàm usus quidã rei, et consuetudo quædam habendi, ut dicit tex. in. l. seruitutes in princip. de serui. urba. prædio. l. quæstio in fi. de uerbo. signific. Et ideo quando testis probat aliquẽ possedisse, & de possessorijs actibus interrogatur, bona est ratio, si dicat se uidisse actorem ipsam rem tenere, ea uti, & fructus colligere. Nam rei usus, & collectio fructuum ad legitimum pertinent possessorem. l. uim facit. de ui arma. l. si duo. §. hoc interdictum uti posside. l. si eius fundi cum notatis de rei uendicatio. Alexan. in consil. 51. uliso. ad fi. uol. primo licet ibi communem errorem sequatur, scilicet possessionem ciuilem iuris esse. Constat autem omnem usum uel consuetudinem esse facti, & in facto consistere. l. de quibus ubi docto. Communiter de legib.

VIGESIMOSECVNDO & ultimo, arguendo a sufficienti diuisione, aut ciuilis possessio ab illo actu momentario corporalis apprehẽsionis inducitur, iuxta tex. in. l. i. in princ. de acqui. poss. & Alex. d. cõsil. 51 et tunc esset ius formale necessario ab ipso actu producente separatum & abstractum, & consequenter, sicut et reliqua omnia iura formalia et abstracta, procederet. Nam nec ui tolleretur, nec morte extingueretur, nec captiuitate interrumperetur, nec inter coniuges permitteretur, nec tradi posset, præterea cederetur, trãsmitteretur, suspenderetur, ab hæreditate cõseruaretur, postliminio & lege Cornelia restitueretur, & deniq; omnem iuris effectum & naturam præseferret:

ferret: quæ tamen uera non sunt ut ex præcedentibus liquet. Ergo ius formale & abstractum non est, nec ab actu momentario procedens. Aut possessio ab ipso actu insistendi continuo & successiuo producitur, et tunc ius insistendi dici non potest; quandoquidem ipsum ius quod ab insistendo nascitur, causa insistendi esse non potest. Ridiculum est enim dicere aliquid esse, uel producere id ex quo generatur. l. quod per manus de iu. codici. l. ex pupillari de uulga. ex quibus patet possessionem ius non esse. Possem & alijs infinitis iuribus, rationibus, & argumentis prædictam communẽ opinionem cõuellere; nisi maiore tædio quàm uoluptate uel utilitate lectorem affectum iri putarem. & ne desit authoritas hanc opinionem tenet glo. in. l. Celsus ad finem glo. magnæ, ubi dicit possessionem & contractus facti esse, infra hoc eo. ti.

NON obstat tex. in. l. possessionem de acqui. pos. ubi pupillus naturalem possessionem, quoniam facti est, amittere quidem sine tutoris authoritate potest, sed non ciuilem, quæ solo animo retinetur. Ad hoc respõdeo, quod ciuilis possessio a solo pupillo amitti non potest, quia factum est, non utique nudum & simplex, sed solemne, & a iure qualificatum, iuris effectũ producens. Igitur non tam ratione possessionis seu insistẽtiæ, quæ facti est, quàm ciuilis effectus cohærentis, pupillus eam amittere non potest: quemadmodum etiã sine tutore hæreditatem adire non potest, quamuis lucrosam & opulentam. §. neque tamen, Insti. de autho. tuto. & tamen adire hæreditatem facti, non iuris est.

l.gerit de acqui.hæredi.sic & possessionem ciuilem nedum naturalem amittere facti est.d.l.i.§. si uir uxori de acqui.possessio. & generaliter pupillus sine tutore nullum actum facere potest, per quem in aliquo iuris effectu lædatur.§. primo Insti.de aucto.tut. l.obligari.ff.eod.tit.

NON obstant iura omnia dicentia ius possessionis, uel possessionẽ plurimũ a iure mutuare, uel multum iuris habere.l.peregrè et l.possessio de acqui.possessio.quoniã talia iura respectu ciuilis effectus cohærentis intelliguntur. Sic etiam dicimus ius societatis, ius permutationis, ius emptionis, ius stipulationis, cũ tamen in substantia omnes contractus facti sint, non iuris.l.consilio in fi.de cura. furio. pari modo ius possessionis, non intransitiuè, sed transitiuè uocamus. Item cum dicimus possessionẽ multum iuris habere, uel plurimum a iure mutuari.d.l.possessio, euidenter declaramus aliud esse ius, aliud possessionem. nemo enim mutuo accipit ab alio, quod ipse naturaliter habet.l.ij §.appellata.& l. rogasti si cert. peta. proinde possessio ciuilis nihil ferè aliud est, quàm legitima rei corporalis, uelut propriæ, detentio solo animo facta .l.ab hostibus.§. sed quod simpliditer ex quibus cau. maio.l.quod seruus de acqui.posse. Et quemadmodũ a uerbo momentario deriuatur uerbale nomen actum momentarium significans, ueluti a trado traditio, a restituo restitutio, ab emo emptio, a stipulor stipulatio: Sic a uerbo successiuo uerbale nomen deducitur, actum denotans successiuum, ueluti a detineo

detentio, a possideo possessio, ab habito habitatio, & sic de similibus. fatendum tamen est uerborũ omniũ alia nudũ factũ significare, uelut trado, detineo, pulso: alia uero factũ solemne iuris effectu sufultum, ueluti stipulor, possideo, do, dono, adopto, arrogo , testor, lego, & huiusmodi, ex quibus uerbalia quoq; nomina iuris effectum habentia deducuntur, ut possessio, adoptio, stipulatio, & reliqua. Et quanquàm in proposito articulo fusius forte quàm par esset, uagati sumus: nõ inutilis tamen erit labor, cum nulla in toto iure sit frequentior , uel utilior materia possessoria : nulla uero circa terminorum notitiam frigidius, uel obscurius explicata . Cætera in. §. nihil commune copiosius tractabuntur.

SED iuxta prædicta non inutiliter quæri potest, quare facta non suspendantur , uelut iura , cum tamen legis potestas, saltem per imaginem et fictionem, maxima sit , possitq; facta pro infectis habere. l. non dubium. C. de legib.

RESPONDEO Iura facilius suspẽdi quoniã, per se subsistunt, et a lege moderationẽ accipiunt; facta uero, præsertim successiua, cõtinuum hominis ministerium suapte natura desiderant , quo cessante illorum substantia cessat. d. l. deniq; & . d. §. factæ de capti. Ideoq; suspendi non possunt.

PRAETEREA iura, si respectu prioris domini nõ prosint, saltẽ in nouũ dominũ utiliter trãsmittũ-

tur.d.l. cũ hæredes in prin.de acq.pos.facta uero adeo personæ cohærent, ut transmitti non possint.l. a testatore de condi.& demonstra.l.quod dicitur & l. Centesimis.§.i.de uerb.obligat.

IDEO factorum suspensio plerunq; frustratoria redderetur, quod legum rationi minime congruit, iuribus uulga.

TERTIA elicitur conclusio, ꝙ interrupta quandocunq; possessione, interrumiptur et usucapio tex.est formalis in l.pen.infra pro donato. Ratio patet, nam ad perficiendam usucapionem requiritur continuata possessio.l.iij.& l.sine supra eo.l.ij.C.de præscrip. longi tempo.& talis interruptio est tante potentiæ, ut pristina possessio amplius prodesse non possit nec, cum sequenti possessione connecti: sed ab integro inchoanda est usucapio mediante noua possessione.d.l. cum hæredes.§.i.& l.Pomponius.§.quæsitum de acqui.posse. l.in usucapione.§.accessio de diuer.& tempo. præscr. Nam ea quæ ad sui perfectionem continuitatem desiderant, si quoquo modo interrumpantur, ab initio repetenda sunt.l.hæredes palã.§.i. ibi omnia ex integro de testa.l.continuus in princip. de uerbo. obliga.l.qui fundum.§. qui bona fide.uersic. cum semel infra pro emptore. Nec prædictis obstat notabilis tex. in.l.cœptam infra eo. ubi interrupta possessione per interitum possessoris, adhuc procedit usucapio, & per hæreditatem iacentem completur, quamuis hæreditas ipsa possidere nõ possit. d.§.Scæuola: quia respõdeo ta

lē usucapionē iure quodā singulari procedere propter utilitatem, cui legis fictio suffragatur. l. Iusto. §. nondū infra eo. Lex enim, ubi agitur de complenda usucapio ne per mortem interrupta, fingit defunctum adhuc su peresse, & per hæreditatem repræsentari. l. hæreditas in multis, supra de acqui. re. domi. l. mortuo de fide= iusso. l. nouatio de nouatio. §. seruus Instit. de hæredi. Insti. & hic in fi. unde usucapio iam inchoata per talē fictam representationem de æquitate completur, quæ tamen per hæreditatem de nouo inchoari non posset. Multa enim facta tenent, quæ de nouo fieri prohiben tur. l. patre de his qui sunt sui, & facilius sustinetur, quod iam in aliquo ueritatis primordio fundatum est. l. cum filius. §. hæres de lega. ij. l. ij. & fi. infra pro lega= to, dixi plene in. l. Celsus infra eo. & facilius aliquid in esse conseruatur, quàm de nouo inducatur. l. sed si ma nente de preca. Et ideo per liberam personam ius no= bis conseruatur, sed non acquiritur. l. per procuratorem de procu. Et fini ac complemento rei semper aliquid plusculum de rigore iuris remittitur, quàm ipsi prin= cipio. l. rerum mistura ubi, dixi infra eod. Præterea hæ res statim adita hæreditate retro hæres & dominus fuisse fingitur & immediate, defuncto successisse. l. hæres quandocunq; de acqui. hæredi. l. si ex re. §. fi. de stipula. seruo. igitur possessio defuncti ipsi hæredi con tinuatur, & per hæreditatem ei conseruatur, dummo= do interea non fuerit per alium occupata. §. diutina Insti. de usucapio. l. possessio infra eo. sufficit enim fa cultatem apprehendendi possessionem ipsi hæredi inte= gram conseruari, ut per hæreditatem usucapio perfici

possit.d.l.possessio & .d.l.cũ hæredes.§.i. & prædicta locum habẽt, quando sola morte possessio interrumpitur: secus si alio casu, puta captiuitate, quia tunc nec possessio continuatur hæredi, nec usucapio per hæreditatẽ cõpletur, ut hic dicitur, & ratio liquet. Nã uerè mortuus statim ab hæreditate uel hærede repræsentatur.d.l.hæres, & .d.l.hæreditas & in auc.de iure iur. in princ. secus si alio modo uel casu impediatur, quia nulla tunc representatione suppletur.l. neminẽ de acquiren. hæredi.

SED hic cadit notabilis difficultas, Cur defectus possessionis confestim usucapionem interrumpat, non autem defectus bonæfidei: cum tamen ad usucapionem bona fides, & possessio æqualiter requirantur.l. Celsus infra eo.l.ij.C. de præscrip.longi tempo. Iason in rub. de acqui.possess.dicit esse suum nouum quæsitum, & soluit, quoniam desinens possidere, desinit posse conueniri.l. nam si actor de rei uenditio.l. uni.C. de aliena. iud.mutan. & non ualenti agere usucapio currere non debet.l.prima in fin. C. de annal. exceptio.l.contra.C. de inoffi. testamen. Verum hæc ratio non concludit, quoniam ad hoc, ut quis possit conueniri, sufficit quælibet detentio, & restituendi facultas, licet ciuiliter non possideat.l. officium de rei uendi. quinimo sufficit, quòd dolo possidere desierit.l.is qui se & .l. qui restituere eo.tit. quamuis igitur ciuilis possessio non sit necessaria ad conuentionem, est tamen necessaria ad usucapionem dicta.l. sine infra eo. & l.i.§. per seruum, qui in

fuga. de acquiren. possessio. Vnde effectus ei causæ ascribi non debet, sine qua esse potest.l. antepenul.ex quibus cau. maio.l. uni. de conditio. & demonstra. Itaque uerior mihi ratio uidetur, possessionem continuam ideo requiri, quia per primũ possessorẽ amissa, et per alium quæsita, uel apud secundũ otiosa esset, & sine iuris effectu: uel duos eandem rem insolidũ usucapere contingeret: quorum utrunque absurdum est.l. si ut certo.§. si duobus; commodati.l. penult.de castren. pecul.l.non cogendum in fi.de procurato.Cæterum in bona fide sufficit originem considerare, per quam usucapionis initium iustificetur.l.sequitur.§. si antequam. supra eo.l.ij.pro empto: et quamuis postea deficiat, tamen ex tali defectu ius alteri acquiri non potest, sicut ex defectu possessionis. Plures enim eodẽ respectu bonam fidem habere possunt, sed plures possidere non possunt.d.§.si duobus, & l.iij.§.ex contrario. supra de acqui.possessio.

PRAEDICTA principalis conclusio, ꝙ interrupta quandocũq; possessione usucapio extinguatur, non solum procedit, quando quis per se animo & corpore possidet, uerum etiam quando per alium, puta colonum, procuratorẽ, filiũ, uel seruum, extra causam peculiarem iuxta.l. quod meo de acquiren. possessio. Nam in nõ peculiaribus paria sunt omnino per se uel per aliũ possidere secundũ Marcellũ, & rectè, in.d.§. factæ de captiuis. Vtrobiq; enim quis animo suo possidet, licet corpore alieno.d.l. ꝙ meo. & l.iij.§ saltus eod.titu. Igitur siue corpore proprio, siue alieno quis

possideat, semp eius captiuitate possessio interrũpitur, secundum crebriorem & ueriorem doctorum sententiam in princ. huius text. licet nonnulli perperam refragentur: ut infra clarius ostendetur in nona conclusione, in ea quæstione, utrum extra causam peculiarẽ ignoranti domino possessio acquiratur?

VERUM contra prædictam ampliationem insurgit notabilis difficultas. Nam possessio, alieno corpore retenta, per uim illatam domino non amittitur, sed uirtute naturalis per alium conseruatæ etiam ciuilis a domino retinetur. l. peregre. §. fi. de acqui. poss. & l. i. §. non alij de ui arma. et si dicatur, ꝙ captiuitate animus domini alligatur, & impeditur, ut possidere non possit, respondeo, ꝙ etiam quando dominus per uim potentioris deijcitur, eius animus impeditur. d. §. non alij & l. sed si nolit de acqui. poss.

QVARE ad eam difficultatem dupliciter responderi potest. Primũ, quia captiuitate uidetur ipsemet dominus sponte amittere animum possidendi, & facto suo desinere possidere. quilibet enim ciuis Romanus ea lege et animo ad bellum procedit, ut uictus seruus hostium fiat. d. l. ex hoc iure. & d. §. seruitus, & d. l. hostes de capti. Nam faciens actum uidetur ultro se astringere omnibus conditionibus & qualitatibus eius l. si duo de acqui. hæred. l. si mulier. §. fi. quod met. cau. l. fi. §. cum enim gemini. C. de iu. delibe. Cæternm quãdo dominus sponte desinit habere animum possidendi, etiam possessionem per alium retentam amittit. Ciuilis enim sine naturali amitti non potest. l. iij. §. quod

ſi ſeruus.& l.ſi de eo.§.i.& l. quemadmodum de ac=
qui.poſſeſ. Vel ſecundo dici poteſt (& hæc ratio om=
nino concludit) ꝙ ideo captiuitate,non autem expul=
ſione,dominus ciuilem poſſeſſionem amittit,quoniam
captiuus amittit etiam potentiam & facultatem con
ſequendi naturalem, quam tamen expulſione non a=
mittit,cum poſſit quandocunq; reuerti,& naturalem
per miniſtros ſuo nomine retentam apprehendere. Cō
ſtat autem ciuilem poſſeſſionem non amitti,niſi quan
do, uel ſponte deſeritur,uel naturalis poſſeſſionis fa=
cultas adimitur.d.§.ꝙ ſi ſeruus cum præallegatis. Nā
& in.d.§.per ſeruum,qui in fuga, dominus ciuilē ſer
ui fugitiui poſſeſſionem non amittit, donec fuerit ab
alio naturaliter occupatus. ſic etiam ciuilis amittitur,
quando cuſtos naturalem poſſeſſionem alteri tradit.d.
l.peregre.§.fi.ſecus ſi poſſeſſionem tātum deſerat uel
morte,uel receſſu:quia adhuc animo domini retinetur
d.§.quod ſi ſeruus. quia non eſt ſibi adempta facultas
cōſequendæ naturalis.Et pro hac cōcluſione, ꝙ adēpta
facultate naturalis,ſemp̱ amittatur ciuilis, facit.tex.
in.d.l.cū hæredes.§.i.de acqui.poſ. ubi Iuriſconſul=
tus hanc rationem in captiuo aſſignare uidetur. nam
quemadmodum ciuilis poſſeſſio ſine naturali acqui=
ri non poteſt.l.iij.§ Neratius de acqui.poſſ.ſic etiam ſi
ne potentia & facultate naturalis conſeruari non po
teſt.l.d.iij.§. Nerua et.§.ꝙ ſi ſeruus. nec prædictis ob=
ſtat tex.in.l.clam.§.fin.de acqui.poſ.ubi per occupatio
nem clandeſtinam naturalis, non adimitur ciuilis:
quia reſpondeo ciuilem poſſeſſorem poſſe naturalem
ſibi occupatam, quandocunque reſiuerit, de facto &

propria authoritate recuperare.d.§. fin. ubi Areti. in vi.col.& d.l.q meo.§. fi. & est cōis doctorum sentētia teste Socino in consil.cxxij. in causa domine Iacobæ colum.penul.uersic.respondeo dupliciter uol.iij.& usque adeo ciuilis possessio per facultatē naturalis fouetur, & conseruatur, ut negligens consequi naturalem, cum primū pōt, etiam ciuilem, quam habet, amittat.l. si de eo §.i. de acqui. possessio. Alexan. in consil.lxxvi. uisa. uol.i. & ibi uerificatur dictum illud scripturæ, habenti dabitur, non habenti etiā quod habet: auferetur. & hæc perpetuo adnotanda sunt, tum quia ultra scribentes, tum etiam quia solidam & præcipuam in uniuersa possessionum materia cōtinent declarationem.

QVARTA elicitur conclusio ibi, & si ipsi re uerso. nō magis fauēdū esse hæredi quàm defuncto: quia melioris cōditionis esse nō debet successor, quàm eius author, a quo ius habet.l.in omnibus officijs.§ nō debeo de regul.iur. nec plenior debet esse dispositio in causato, quàm in sua causa auc.multo magis.C.de sacrosan.eccle. & ideo quod defuncto non licuit, hæredi licere non debet, & quod defunctus usucapere non potuit, nec hæres eius. & mala fides defuncti hæredi etiam bonæfidei nocet.§.diutina Instit. de usucapio.l.sequitur.§.hæres. supra eo.l.cum hæres de diuer. præscriptio. & querelam, quam defunctus omisit, hæres suscitare non potest.l. fin.C. de reuo. donatio.l. si pater &.l. scimus in fi. C. de inoffi. testa. & generaliter hæres in omnia defuncti iura tā acti-

ue, quàm passiue succedit.d.l.cum hæres. & l. hæredem de regul.iur.& l.ij.C.de fruc.& liti.expen.proinde ualet argumentum de postliminio ad legem corneliam tam affirmatiuè, quàm negatiuè,uti quæcũq; iure postliminij competunt, etiam per legem cornelìam concedantur. & ubi postliminium non procedit, nec etiam lex cornelia hæredibus prosit, rationibus prædictis, & ita arguit Iulianus in l. bona in princ.de capti. & Marcellus hic in fi. principij.Limitantur tamen omnia supradicta, ut non procedant, ubicunque hæres non uenit ut hæres ex persona defuncti; sed ex persona propria, iuxta tex.in.l. fi.cum ibi not.C.de euictio. Item hæres non repræsentat defunctũ in iuribus mere personalibus.l. Idem.§. personale de pact.l. iniuriarum actio de iniu.l. in eum de in ius uocan. l. hæc actio de calumniato. Item neque in factis dicta l. hæreditas de acquiren.re.domi. & d.l. cum hæredes in princ. de acquiren. poss. Item & generaliter in omnibus ijs, quæ sua natura transmitti non possunt.§. finitur Insti. de usufruct. l. si ex pluribus de suis & legiti.l. si is cui. infra rem rat. habi. Aliquando tamen plus iuris habet hæres, quàm defunctus,puta in ijs, quæ inter ipsos hæredes beneficio legis decemuiralis diuiduntur: quæ tamen apud defunctum indiuidua fuissent.l. legatarius de leg.i.l.pacto.C. de pac.l.prima.C. si certum petatur.l.iiij.§.Cato,ubi late dixi post scribentes, infra de uerborum obligatio. Item in omnibus, quæ post defuncti mortem initium capiunt in persona ipsorum hæredum.l.prima.C.ut actio. ab hæredi.

Item plenior aliquãdo competit obligatio hæredi quã defuncto.l.si per imprudentiam.§.non mirum de euictio.l.reperitur ad.l.falcid. sic etiã in pœnalibus hæres non succedit.§.omnes Insti. de perpetu. actio.l.omnes de actio.& obligatio.quia crimina morte extinguntur,nec quisquã alieni criminis successor constituitur. l.defuncto de publi. iudi.l. crimen &.l.si pœnam de pœnis.l.sancimus.C.eo. ti.et hæc uera quo ad pœnam, non autem quo ad lucrum ex crimine paratum: quia turpia defunctorum lucra sunt ab hæredibus extorquenda:& in lucris illicitis crimina defunctorum hæredibus imputantur.l.in hæredem de calumniato.l.ut deamus ꝙ met.cau.

QVINTA elicitur conclusio ibi in uita sua. ꝙ possessio interrupta in uita posseris usucapionẽ quoque interrumpit.l.nemo ambigit.C.de acqui.posse. & d.l.naturaliter supra eo.secus tamen si possessio morte possessoris interrumpatur,quoniã,ut supra in.iij.cõclusione plene docuimus,possessio hæredi continuatur, & usucapio per hæreditatem iacẽtem completur.d.§. diutina &.d.l.possessio &.d.l.cæptam infra eod. & sic illa uerba in uita sua non sine ministerio a iurisconsulto ponuntur. Ratio ultra alios reddi potest,quoniam ciuilis possessio,quæ producit usucapionem a uiuente amitti non potest,nisi etiam amittatur facultas possessionis naturalis,ut supra in.iij.conclusione declarauimus. Atqui per mortem possessoris, licet possessio inspecta ueritate rumpatur, quia mors omnia soluit. §.deinceps auct.de nuptijs: tamen quoniã hæredi,qui

ipsum defunctum repræsentat, non est adempta facultas cõsequendæ naturalis: dicta possessio continuatur, & usucapio perficitur. Hinc etiã colligitur solida ratio inter hæredem defuncti in ciuitate, & captiuum ab hostibus reuersum: cur scilicet appræhẽsio possessionis naturalis facta per hæredem retrotrahitur, et cũ possessione defuncti continuatur. d.l. cum hæredes in prin. In captiuis autem postliminio reuersis apprehensio non retrotrahitur, nec cum pristina possessione coniungitur: sed noua acquiritur possessio, nouaq; usucapio inchoatur. d.l. cum hæredes. § i. Huius discriminis non obscura est ratio. si quidem fictio translatiua in hærede inuenit utriusq; extremi habilitatem, scilicet a quo per ueram apperhensionem, & ad quod per facultatem apprehẽsionis, quæ semper integra fuit. Cæterũ in captiuo reuerso extremum ad quod inhabile reperitur, cum per captiuiatem facultas naturalis possessionis confestim fuerit interrupta, ut amplius coniungi non possit. & ita declarantur textus in. d.l. deniq; & in. d.l. cũ hæredes. § i. aliter quàm doctores explicauerint. Et si dicatur, quẽadmodũ lex fingit reuersum non fuisse captum, cur etiam non fingit possessionem recuperatam nunquàm fuisse interruptã? præsertim cum in consequentiam principalis fictionis postliminaris id fieri possit. Respondeo, quia possessio & eius continuatio uel interruptio sunt facti, & facta quia suspendi non possunt postliminio non continentur iuribus prædictis. Iuxta præmissa oritur dubitatio, utrum possessionis interruptio sicut usucapionem resoluit, ita etiam prioris tituli effectum interrumpat?

ut non modo noua possessione, sed etiam nouo titulo ad usucapiendum opus sit, uerbi causa possidebam, & usucapiebam titulo pro emptore, interrupta fuit possessio & usucapio, an alium nouum titulum cum noua possessione consequi debeam: an uero primus titulus sufficiat ad nouam usucapionem. Et uidetur nouum titulum requiri, quoniam in primordio acquisitionis titulus sine possessione non prodest: sed titulus etiam posterior cũ possessione præfertur. l. quoties. C. de rei uendi. l. traditionibus. C. de pact. igitur prior titulus sua possessione destitutus, uelut nudus et inefficax, amplius considerari non debet. Bartol. hoc dubium mouet in. §. i. infra ea. l. & concludit primum titulum sufficere per tex. in l. iusto. §. & si possessionis in fi. infra eo. Nam titulus semel quæsitus non interrumpitur ut possessio, quinimo a primordio tituli omnis posterior formatur euentus. l. uni. in fi. C. de impo. lucrati. descriptio. lib. x. quare autem titulus minime interrumpatur, ratio patet, quia iuris est, non facti. est enim titulus ius illud, quod ex contractu uel dispositione procedit, possessionem ipsam iustificans. l. sequitur. §. furiosus supra eo. l. iij. cum sequen. de publicia. actio. l. Celsus, ubi late dixi, infra eo. iura autem non interrumpi, sed potius suspendi constat. d. l. cum hæredes in princ. de acqui. poss. l. postliminij de captiuis. Præterea titulus & possessio separatam habent rationem, nec unum ab altero dependet. in ultimis enim uoluntatibus ex solo titulo sine possessione dominium transfertur. l. a Titio de furtis. similiter in dotis constitutione. l. si fundum

de fund. dotal. licet hæc ſingulari iure procedant. Rurſum in præſcriptione longiſſimi temporis ad parandã exceptionẽ titulus nõ requiritur, ſed poſſeſſio. l. ſi quis emptionis. §. ſi uero nullum ius. C. de præſcrip. xxx. anno. quod etiã canonico iure procedit. c. de quarta, cũ notatis, de præſcriptio. ex quibus patet de uno ad alterũ non inferri. l. fi. de calũniato. l. naturaliter. §. nihil commune de acqui. poſſ. cum uulga.

SEXTA elicitur concluſio ibi, ꝙ ſi ſeruus, in peculiaribus per filium uel ſeruum acquiſitis, & poſtliminium, & l. corneliam locum habere. l. iuſto. §. fi. infra eo. l. in bello. §. factæ. & l. bona. §. quæ peculiari de captiuis. Ratio patet, nam in peculiaribus, ſiue de acquirendo ſiue de conſeruando tractetur, ſciẽtia domini non requiritur: quia peculiaria & animo & corpore alienis retinentur. d. §. quæſitum & d. l. quod ſeruus de acquiren. poſſeſſio. Verum contra prædictam concluſionem oritur difficultas: Nam ad uſucapiendum ciuilis poſſeſſio requiritur dicto. §. per ſeruum, qui in fuga, & d. l. ſine poſſeſſione ſupra eo. & tamen ſeruus ciuiliter poſſidere non poteſt, ſed naturaliter tantum detinere. d. l. quod ſeruus. & l. ſtipulatio iſta habere. §. hæc quoque de uerborum obligatio. rurſus ciuilis poſſeſſio, quæ in ſeruo domini capacitate fouetur, iuxta regulam. l. ſi mihi §. regula de lega. i. domini captiuitate reſoluitur; ut hic in princ. & dicta. l. denique ex quib. cau. maio. Ideo etiam in peculiaribus uſucapio captiuitate interrumpi deberet, cum ad eum caſum peruene-

rit, a quo incipere non potest.l. pro parte de seruitu=tu.l.quia in eum ad.l.aquili. nec obstat, si dicatur, ꝙ usucapio cœpta aliquãdo sine possessione procedit. d.l cœptã infra eo. quia respondetur illud procedere iu=re quodam singulari in hæreditate uere iacente per mortem domini naturalem, quæ personam domini re=præsentat.d.l.hæreditas de acqui.re.domi. Secus in hæ reditate ficta domini captiui, quæ propter spem postli=minij neminem repræsentat, nec habet priuilegia, seu effectus hæreditatis uere iacentis, ut declarat Bartol. in fi.3.partis principalis huius.l. Nec pariter obstat, si di=catur quod, peculiaria animo & corpore seruorũ uel filiorum acquiruntur, & conseruantur.d.l.quod ser=uus &.d.§.quæsitum, quia respondetur talem faculta tem in peculiaribus semel concessam ex prima & ge=nerali dominorum concessione perpetuo depẽdere, quæ quidem uoluntas generalis ad euitandam continuam interpellationem in singulis actibus, & momentis sem per durare præsumitur.d.§.quæsitum: sed captiuitate domini talis præsumptio cessat, cum etiã si uellet am plius consentire non possit, argumento tex.in.l.qui ad certum.ff.loca. Verum ad hanc difficultatem respon=deri potest prædicta in peculiaribus procedere, etiã re=spectu domini captiui, propter spẽ postliminij, per quã & capacitas domini, & iura omnia dominica in ser=uo cõseruantur, ut dominus adhuc per seruũ & pos=sidere, et usucapere intelligatur: cõcurrẽte scilicet pri=ma cõcessione, quæ ius peculij firmauit speciali quadam æquitate pp utilitatẽ.d.§.quæsitũ et.l.fi.§.fi.infra.eo. et.l.pen.de capt.& plenius infra dicetur in.xx.cõclu.

SEPTIMA

SEPTIMA elicitur conclusio ibi in pendenti esse, quod usucapio rei peculiaris captiuitate domini suspenditur l.bona.§. quæ peculiari de capti. Sed opponitur, illud dicitur stare in pédéti, cuius nullus est progressus: nam suspensio impedit cursum Clemen. uni. de cau.posse. & propriet.c. significauerunt de testi. & tamen non obstante domini captiuitate in peculiaribus usucapio ministerio filij, uel serui procedit, & completur d.l.Iusto.§. fi.in princ.l.ij.§.Celsus infra pro empto.& d.l.pen.de capti. Respondeo prædictam conclusionem intelligi quo ad modum, non quo ad effectum. Nam in effectu usucapio in peculiaribus semper procedit: sed modus stat in pendenti, scilicet an ipsi domino reuerso iure postliminij, an uero eius hæredi per legem corneliam pro futura sit d.§. quæ peculiari de capti. Sic etiam omnia alia iura captiui in pendenti stare dicuntur, ut uel ei, uel eius hæredi restituantur d.l.in bello.§.codicilli de capti. fallit in iure patriæ potestatis, quod indistincte, & in effectu captiuitate patris suspenditur. Nam si pater reuertatur, potestatem in liberos recuperat: si illis decedat, filij exinde sui iuris semper fuisse creduntur d.l.bona §.quod filius de capti.& l.i.§. si pendeat ad macedo. & d.§. si ab hostibus Inst.quib.mod. ius pat. pot. sol. Igitur benedixit glo.in.l. quod si filius de capti. licet hic a Bartol.perperam reprobetur, quod pendente patris captiuitate nihil interim super filio fingi potest, uel ꝙ sui iuris, uel ꝙ in potestate sit. Et ex prædictis infertur ad notabilem quæstionem, Vtrum testamentum a filio conditum pater apud hostes captiuo exi=

ſtente, & illic defuncto per l. corneliam confirme-tur? quod ſanè uidetur, quandoquidem patre apud hoſtes defuncto, filius a die captiuitatis ſui iuris fa-ctus intelligitur ſecundum Bartol. Ideoque teſtamen-tum, tanquam a perſona habili confectum, ualere debet. eius enim ualiditas ab euentu declarata eſt l. iure noſtro in fin. de teſtamen. tutel. l. rem non no-uam in fi. C. de iudi. clemen. prima ut lit. penden. Contrarium tamen uerius eſt, quoniam ultima uo-luntas, preſertim teſtamentum, in pendenti ſtare non poteſt, nec eius ſubſtantia a futuro euentu con-firmatur: ſed ab initio per ſe firmum certumquẽ eſſe debet l. fin. commu. prædio. licet ex poſt fa-cto in totum, uel in partem, alieno facto poſſit irritari l. ſi nemo de teſtamen. tutel. l. circa de in-officio. teſta. Præterea pendente patris captiuitate, filius ſui ſtatus incertus, & dubius de ſtatu ſuo, te-ſtari non poteſt l. de ſtatu de teſtamen. & ad hoc uidetur caſus in l. ſecunda. §. ſi quis deceſſerit ſu-pra unde legiti. ubi ex teſtamento condito per fi-lium captiui bonorum poſſeſſio peti non poteſt. & ita tenuit gloſ. final. in l. ſi pater de iniuſt. rup. te-ſta. Nec obſtat ſi dicatur, quòd tale teſtamentum ſaltem æquitate legis corneliæ conualeſcere debe-ret argu. tex. in l. poſthumus de iniuſt. teſtamen. Vbi teſtamentum natiuitate poſthumi præteriti ru-ptum, poſthumo ante teſtatorem defuncto æquita-tate prætoria conualeſcit: quia reſpondetur mani-feſtam eſſe rationem differentiæ. Nam in caſu po-ſthumi teſtamentum ab initio ualuit, unde faci-

lius confirmatur, & ad pristinum statum reducitur argu. tex. in l. si unus. §. pactus ne peteret, de pact. faciunt notata in. c. statutum, in uerbo numerandum de præben. in yi. facit uulgatum illud Bald. in l. quoniam præteritæ in princ. C. de secun. nupt. Corrigens corrigitur, & ad pristinum statum ius reducitur: & quando præcessit legitimum initium, facile cessat superueniens impedimentum. Sed in casu captiui testamentũ nunq̃ ualuit. quinimo lex initio refragatur, quæ pendente statu paterno filium testari non patitur dicto. §. si quis decesserit. & quando lex ab initio actui resistit, habilitas superueniens talem actum non confirmat l. si minor de seruis exportan. Cum enim principium potentissima cuiusque rei pars sit, regulariter in omni actu principij habilitas spectanda est l. prima de origi. iu. l. Pomponius de nego. gest. & a primordio omnis posterior formatur euentus dicta l. uni. C. de impo. lucrati descrip. lib. decimo & generaliter omnis actus probabili errore cõcessus saltem aliquod ueritatis primordiũ requirit l. secunda & fin. infra pro lega. l. cum filius. §. hæres de lega. ij. & plene declaraui in dicta l. Celsus infra eo.

NEC prædictis etiam refragatur tex. in l. fin. §. i. iunc. glo. C. de senten. pass. ubi testamentũ a filio conditum pendẽte patris deportatione, si interim filius decesserit, et pater restitutus postea fuerit, nõ reuocatur: sic de testamento pendente captiuitate patris confecto dicendum uidetur: quoniam ad hæc respondet glo.

in d.§.i.permultum interesse inter captiuitatem & deportationem. Siquidem per captiuitatem patris, filius non efficitur sui iuris (ut Bartol. malè opinatur) sed ius patriæ potestatis stat in pendenti iure postliminij, quod captis pro republica fauorabiliter indultum est.d.l.postliminium de capti. Constat enim postliminio omnia iura suspendi, & reuersis restitui.l.postliminij de capti.ergo & ius potestatis in pendenti manet. Cæterum per deportatioenm, quæ ex delicto patris contingit, patria potestas omnino extinguitur, et filius uerè sui iuris efficitur.§.cum autem Insti. quib. mod.ius patri.pote. solui.quamuis igitur pater ex indulgentia principis restitutus omnia sua iure pristina consequatur, patriam tamen potestatem in filium iã defunctum recuperare uon potest, nec testamentum ab eo legitime factum reuocare: Cum non soleant priuilegia principum in præiuditium iuris alieni facile retrotrahi, nec iura quæsita reuocare.c.quamuis de rescrip.in ui.l. impuberi de admini. tuto.l.i.§. merito. nequid in lo. publi.l.nec auus.C. de emancipa. libero. cum simil. Nam effectus consumati, etiam si peruenlant ad casum, a quo incipere nequeunt, minime reuocantur l.pluribus.§.& si placeat, de uerbo. obliga.l.si Gaudentius.C. de contrah. empti. & generaliter multa facta tenent, quæ de nouo fieri prohibentur.l.patre de his qui sunt sui.l.cœptam supra eod. cum uulgaribus.

OCTAVA elicitur conclusio ibi intelligi usucaptum, quod in peculiaribus dominus reuer-

ſus fingitur uſucepiſſe, licet nunquam antea poſſederit, præſupponendo uſucapionem per ſeruum pendente domini captiuitate inchoatam d.§.factæ de captiuis. Sed hic inſurgit non leuis difficultas. Certum eſt enim, ꝙ ſuper extremo inhabili fingi non poteſt.l. bonorum rem ratam habend. & notatur in.l.ij.C.de inoffi. donatio. Sed dominus etiam præſens peculiaria non poſſidet, nec uſucapit, quinimo ſeruus ipſe animo & corpore proprio, etiam ignorante domino, poſſidet, & uſucapit l.ij.infra pro ſoluto l.ij.§.Celſus pro empto. Nec obſtat, ſi dicatur,ꝙ ſeruus poſſidet,et uſucapit nomine domini: quoniam reſpondetur,quòd uſucapio ſerui in peculiaribus pendente domini captiuitate fictè procedit, ſecundum primum glo.opinionē in d.l.iuſto.§.fi.in uerbo inchoari infra eo. quam Bartol.hic ſequitur.Vnde ex actu ficto non debet alia fictio reſultare l.i.cum notatis. C. de dot. promiſſio.l. quod meo de acqui. poſſe.l.qui ad certum loca. Nam extremum a quo (ſecundum Bartol. & doc. communiter hic) uelut baſis & fundamentum tranſlatiuæ fictionis per ſe uerū & exiſtens requiritur: igitur abſurdum foret dicere dominum reuerſum fingi uſucœpiſſe,quod ſeruus eius ficte uſucapiebat. Ad hæc reſpondet Bartol. quod fictio uſucapionis uenit in conſequentiam principalis fictionis, quæ ex ſecundo capite poſtliminij procedit, per quam dominus fingitur nunquam captus, ſed in ciuitate ſemper fuiſſe.l.retro de captiuis, & in conſequentiam ſemper fingitur poſſediſſe & uſucœpiſſe: & in effectibus ſeu fictionibus conſecutiuis ſufficit ficta extremorum habilitas. &

est notabilis declaratio in tota materia fictionum per tex. in l i. C. de postlimi. reuer. & in l. ab hostibus. §. nõ minus, cum ibi not. ex quibus cau. maio. & in l. qui in utero de sta. homi. ubi conceptus in utero habetur pro nato, & in patria potestate per consequentiã. Similiter cõceptus & natus apud hostes, rediens cum parentibus, fingitur natus liber & in ciuitate, in consequentiam fictionis postliminaris ipsis parentibus principaliter competentis. Veruntamen, quãuis prædicta declaratio Bartol. de fictione consecutiua in se uera sit, tamen ad casum nostrum adaptari non potest: quoniam seruus rem peculiarem siue capto, siue præsente domino uerè & non fictè usucapit dicta. l. penul. §. fin. ibi si quidem ex causa peculii possedit, usucapionem inchoari infra eo quæ uerba denotant ueritatem l. i. C. de acqui. possessio. & uoluit glo. in d. uerbo inchoari in secunda sol. quæ uerior est, licet Bartol. primam minus ueram elegerit. Nam dominus per seruum fingitur usucapere l. si seruo infra eo. igitur necesse est seruum uere usucapere: quia ad hoc ut quis per alium fecisse uideatur, uerum ministri uel mandatarii factum requiritur l. i. §. deiecisse de ui arma. d. l. quod meo de acqui. possessio. alioqui etiam cessante postliminio, & in dominis nunquã captis fictio usucapionis ex ficta quoque seruorũ opera principaliter resultaret contra omnem iuris rationem, ut ex prædictis facile constat.

QVARE ad obiectum responderi potest, ꝙ ideo dominus reuersus fingitur retro per seruum usucepis-

se, quoniam iam ante captiuitatẽ per eundem seruũ usucapere fingebatur: quæ fictio cũ sit iuris, nunquã interrupta fuit, sed instar aliorum iurium in pendenti remansit, & per dominum reuersum simul cũ aliis iuribus citra ullum factum extrinsecum recuperatur d.l. in bello. §. codicilli. et. l. bona. §. quæ peculiari de capti. & d.l. cum hæredes. §. i. de acqui. posse. & sic talis fictio nõ ex secundo capite postliminij per consequẽtiam (ut Barto. existimauit) sed ex primo capite omnium iurium restitutio uere procedit.

ACCEDIT nunc alia dificultas, quomodo possit seruus pendente domini captiuitate usucapionem in peculiaribus inchoare. Nam arguendo a sufficienti diuisione talis usucapio in persona serui fundari non põt, cum seruus ex persona sua nullius ciuilis effectus capax sit, nec sibi possidere uel usucapere possit d.l. qđ seruus de acqui. posse. l. stipulatio ista. §. Hæc autem de uerbo. obliga. l. quod attinet de regu. iu. d.l. iusto. §. fi. in. ij. respon. infra eo. Ex persona aũt domini non põt, cum dominus in seruitute hostium sit, & nihil per se possit, ergo nec per seruũ l. neq; seruus. & l. Labeo in fi. supra eo. nec etiam ex persona hæreditatis iacentis, cum nulla detur captiui hæreditas, siue is naturaliter uiuat, siue apud hostes decesserit l. iij. §. fin. de uerbo. significa. l. neminem de acqui. hære. l. prima de hæredita. uendi. Præterea hæreditas per se nec possidere, nec de nouo usucapionem inchoare potest l. prima. §. Scæuola. si quis testa. liber l. captam infra eo. Breuiter in hac difficultate puto dicẽdũ habilitatẽ

& potestatem serui in peculiaribus exercendis, & acquirendis adhuc ex domini capacitate pendere, non obstante captiuitate propter spem postliminij. Nam status & capacitas hominis iuris sunt secundum Bartol. post d. Andre. Pisanum supra hac ea. l. colum. ij. uersic. & quia per tex. in l. libertas de sta. homi. & in l. iij. & iiij. de his qui sunt sui uel alie. iu. Igitur uirtute postliminij capacitas domini instat aliorum iurium stat in pendenti, nec captiuitate deletur, nil mirum si per eam seruus adhuc ipsi domino, licet captiuo, & & possidere & usucapere potest, quod autem etiam in peculiaribus usucapiendis ficta possessio domini requiratur, tex. est ineuitabilis in d. l. fin. §. fin. infra eo. non obstante declaratione glo. et Bartoli ibi, quæ aperte uiolat tex. ut infra plenissime ostendemus ad quod etiam est tex. apertus in d. l. ꝙ seruus ibi, peculiũ qđ seruus naturaliter tenet, creditur dominus possidere. Nec obstat tex. in d. l. neq; seruus supra eo. quia necessario loquitur in nõ peculiaribus, ut gl. ibi recte declarat, ne alijs iuribus apte repugnet d. l. iusto. §. fi. infra eo. nec est nouũ ꝙ una lex simpliciter et indistincte loquens ꝑ alias leges distinguatur, limitetur, ac suppleatur, ut omnis pugnantia & absurditas cesset. §. quibus in prima consti. C. & l. filiusfamilias de actio. & obligatio. iunc. l. i. ad macedo. & l. ij. de pollicitatio. & l. sciendum qui satisda. cogan. iunc. authen. offeratur. C. de litis contestatio. l. nam et posteriores de legibus, cum infinitis similibus.

NONA elicitur conclusio ibi, plus iuris, dominum plus iuris habere in peculiaribus respectu postlimini, quàm in non peculiaribus, siue per se siue per seruos ea possideret. ratio in promptu est, Nam peculiaria respectu domini iuris sunt magis, quàm facti, cum in illis nullum ipsius domini factum, nullaue scientia desideretur d. §. quæsitum, & d.l.ij. §. Celsus pro empto. In nõ peculiaribus autem nec possessio, nec usucapio per seruos ignoranti domino procedunt l.i. §. item acquirimus de acqui. posse. l.ij. infra pro soluto. Verum quia Bartol. & pleriq; omnes ferè ubique tenuerunt etiam in non peculiaribus ciuilem possessionem ignoranti domino quæri, hunc articulum plenius discutiendum putaui. Et pro opinio. Bartoli, quæ communis esse uidetur secundum Iasc. hic, & in d. §. Itẽ acquirimus post Alexan. primo facit tex. in l. quod seruus de acqui. posse. Vbi domino ignoranti iusta tantum possessio per seruos acquiritur, sicut & id quod ex peculio quæritur. & sic de nõ periculiaribus loquitur, cum omne æquiparatum sit diuersum l.i. de lega.i.l. quod Nerua cum not. supra depositi. Secundo facit l. si me in uacuam. §. fi. eo. titu. ubi textus apertus, ꝙ seruus, etiam alienus, & a nemine possessus, possessionem ignoranti acquirere potest, quemadmodum & procurator. Tertio per tex. in l.i. §. si per seruum, qui in fuga, de acqui. posse. ubi per seruum fugitiuum adhuc acquiritur domino ignorãti possessio. Et sic extra causam peculiarem cum fugitiuus peculiũ non habeat. & si quod habebat, per fugam amisit. l. rogasti. §. si fugitiuus si cert. peta. l. libera de pecul.

QVARTO per tex.in l.nunquã.§.si seruus infra eo.qui tex.multum urgere uidetur ibi peculiari uel etiam meo nomine ut ego per eũ ignorans possideam. Quinto per tex.in l. in bello.§ factæ de captiuis, secundum unum intellectum, ꝙ ibi Iulianus æquiparauerit hos duos casus, dominum ante captiuitatem per seruum non peculiariter possidere, uel post captiuitatẽ ex causa peculiari; ut utroq; casu & postliminij, & legis Corneliæ fictio procedat . quod non alia ratione contingere potest, nisi quia neutro casu factum uel scientia domini requiritur. Sexto per tex.in.§. Itẽ nobis Insti.per quas perso.no.acqui.ubi tex.generaliter et indistincte dicit per seruos dominis etiã ignorãtibus,& inuitis,non solum proprietatẽ, sed etiã possessionẽ acquiri. Septimo, & ultimo facit,quia seruus et procurator in acquirendo æquiparantur d.l.si me.§.fi. de acqui. posse. & tamen procurator possessionem ignoranti acquirere pōt l.i.C.de acqui.posse.l. si procurator de acqui.re.domi. ergo idem & in seruo dicendum.

CONTRARIAM opi. tenẽt Areti.& Ias.in d.§.Itẽ acquirimus,quã, ut ueriorem,amplector: quoniã apertis iuribus & rationibus cõprobatur, quibus omnino responderi nõ pōt.Et primo per tex.in d.§.itẽ acquirimus,& in l.iij.§.saltus.et in l.peregre.§.quæsitũ de acqui.posse.& in l.iusto.§.fi. & in l. si seruũ nesciẽte infra eo. & l.ij.pro soluto. & l.ij.§.Celsus.et §.Pōponius pro empto.et l.quia a seruo in fi.de actio. & obligatio.& in l.bona.§. quæ peculiari.& l. pen.

de captiuis. quibus legibus manifeste probatur peculiaria etiam ignoranti, non peculiaria scienti tantũ domino acquiri. Secundo facit, quia ubicunque lex concedit ignoranti domino possessionem, ferè semper qualitatem peculiarem exprimit, ut patet in omnibus iuribus præallegatis: quando autem aliqua qualitas, seu uerbũ aliquod a lege sæpius exprimitur, ad illud tantum dispositio restringitur, et omne aliud non expressum excluditur. glo. est singularis in clemen. I. in uerbo diocesanis de iure patrona. quam summe extollit Ias. in l. si constante col. xiiij. uersic. limita. solu. mat. Tertio facit ratio ineuitabilis. Nam possidens per seruum extra causam peculiarẽ dicitur possidere animo suo, & corpore alieno d. l. iij. §. saltus. & d. l. quod meo de acqui. posse. sed ubi scientia deest, ibi animus esse non potest l. non uidetur de libe. cau. & hoc est quod uulgo dicimus, ignorantis nullum esse consensum l. si ignorans supra loca l. generali. C. de tabula. lib. xij. l. mater de inoffi. testa. & consequenter ignorans nemo possidet. l. iij. §. Neratius ibi is enim, qui nescit, non possidet, de acqui. posse. Et si dicatur, sufficit uolũtas generalis, et permissiua ipsius domini ad omnem serui acquisitionem confirmandam d. §. quæsitum. & d. l. si procurator de acqui. re. domi. Respondeo generalem, & permissiuam domini uoluntatem in solis peculiaribus sufficere, quæ & animo & corpore serui possidentur seu retinentur d. §. quæsitum: secus in non peculiaribus, quæ ab animo ipsius domini continue dependent iuribus prædictis. Quarto facit, quia Bartol. & omnes fatentur

in d.l.ij.pro soluto, in non peculiaribus usucapionem ignoranti domino non procedere: ergo nec etiam ciuilem possessionem ignorantibus acquiri fatendum est: si quidem ciuilis possessio iusta sine iuris effectu esse non potest, neque eam lex ociosam aut inutilem esse permittit l.iij. supra eo.l.traditio de acqui.re.domi.& perridiculū est antecedens cōcedere,& necessarium consequens denegare l.ij. de iurisditio.om.iudi. Quinto facit, quoniam ciuilis possessio per filium aut seruū patri uel domino fictè procedit. Nam illorū ministerio pater & dominus possidere uidentur d.l. quod meo de acqui. posse .l. fi.§. fin.infra eo. Sed lex nunquam fingit aliquid factum ,nisi ut inde eliciat aliquem iuris effectum, ut recte docet Bartol. hic in prima oppo.igitur cui bono possessionem fingeret sine usucapione?d.l. sine infra eo.& l.iij. supra eo.uel causam sine effectu? l.hæc stipulatio.§. diuus ut lega. nomi.cauea.l.non cogendum.§.fi.ubi glo.de procu.

SEXTO, & ultimo facit, quoniam si seruus ignoranti domino possessionem quæsierit, & eo sciēte ut doc. uolunt usucapere cœperit, captiuitate domini usucapio interrumpetur, sed non possessio secundum Bartol.hic in sua theorica post oppo. & sic dominus reuersus semper fingetur possedisse, sed nō usucepisse, quod est absurdum: Cum difficilius interrumpatur usucapio, quæ iuris est, quàm possessio, quæ est facti, ut supra in secunda conclusione plenissime demonstrauimus dicta.l. deniq; ex quib. cau. maio. & d.§. codicilli de capti. & cum usucapio sit

effectus possessionis d.l.iij. supra eo.lex non facile patitur sublato effectu causam inutiliter remanere l.nó dubium cum not.C.de legi.

NON obstant ea, quæ supra pro opi.Bartol. & communi adducta fuere, quoniam singulis respondetur.Et primo ad tex.in l.quod seruus, quod ibi semper loquitur de re peculiari, æquiparando hos duos casus in seruo peculiato,scilicet rem acquisitam ex peculio, uel aliunde quàm ex peculio, puta ex stipulatione uel donatione: quoniam utroque modo quæsita per seruum peculiatum censentur peculiaria.quicquid enim a seruo peculiato iustè acquiritur, in peculium computatur, ut ibi expresse dicitur,& est notabilis & uera declaratio ad illum tex.

AD l. si me.§. fi. respondetur primum uersiculū ibi, seruus quoque meus ignoranti mihi, intelligi de seruo peculiato, uersiculum uero finalem, quatenus de seruo a nemine possesso loquitur, intelligi de seruo nullius,qui,ut procurator mandato alicuius, ei possessionem acquirere potest iuxta tex.in d.l.i. C.de acqui.posse.& in d.l. si procurator de acquiren. re.domi. Ad tex.in.§.per seruum, qui in fuga,respódetur seruum fugitiuum,quandiu a nullo adhuc possessus est, ipsi domino acquirere l.per eum in fi.de acqui.posse.licet peculium amplius minuere non possit, neq; enim liberam peculij administrationem amplius habere censetur,ut domino præiudicet, secus ut prodesse queat, & peculium conseruare.l. Pomponius de

acqui posse. & l.i.in fi. ibi ne seruorum fuga ex quacunq; causa dominis fiat damnosa. C. de ser. fugiti. & l. non solum. §. fi. infra eo. ubi serui deteriorem dominorum conditionem facere nõ possunt, argumento pupillorũ, qui sine tutore sibi prodesse possunt, non obesse. § pupillus Insti. de inutil. stipulatio. l. pupillus supra de acqui. re. domi. Ad l. nunquã. §. si seruus, respondetur uerba simul & cõiunctim posita distincte intelligenda esse, ut singula singulis cõmode referantur l. eã quã. C. de fideicõ. l. iudices cum glo. C. de senten. & interlocutio. Proinde uerbũ illud peculiari ad seruũ refertur, uerbũ meo nomine ad filiũ: & sic eo modo per utrumq; dominus & pater, etiam ignorantes, & possidere, & usucapere possunt. nec aliter intelligi potest, quia Bartol. & omnes extra causam peculiarem planè fatentur domino ignoranti seruum usucapere non posse: cuius oppositum tex. ille probaret, contra etiam alia iura manifesta, nisi sic, ut supra, distinguendo intelligeretur. Ad tex. in §. factæ de capti. respondetur secundum uerum intellectum illa uerba peculiari nomine in fi. posita etiam ad casum proxime præcedentem referri ut utcunque qualificet, ac determinet iuxta tex. in l. fin. de reb. dub. ubi finalis clausula non solum ad proxima, sed etiam ad omnia præcedentia refertur, quæ eadem ratione clauduntur & ita illum tex. supra in controuersia Iuliani & Marcelli plenissime declarauimus. alioquin extra causam peculiarem paria sunt per se, uel per seruum usucapere, ut recte Marcellus ibi definiuit, & omnes fatentur. Ad tex.

in.§. Item uobis, reſpondetur tex. ibi, dum loquitur de proprietate & poſſeſſione, intelligendum eſſe de poſſeſſione conſecutiua ad ipſam proprietatem, non de ſeparata per ſe & principaliter conſiderabili. Sicut enim per procuratorem dominium non principaliter, ſed in conſequentiam poſſeſſionis acquiritur l. per procuratorem. C. de acqui. poſſeſſio. ſic per ſeruum poſſeſſio non per ſe, ſed in conſequentiam dominij, etiam ignoranti domino, acquiri poteſt: multa enim per conſequentiam tolerantur, quæ principaliter denegantur l. i. de autho. tuto. l. uni. de condi. & demonſt. Vel dicere poſſumus ſeruum ignoranti domino naturalem tantum poſſeſſionem acquirere poſſe, non etiam ciuilem, per quam fit uſucapio, niſi in peculiaribus. Eo enim ipſo, quod ſeruus rem naturaliter tenet, ipſe dominus tenere uidetur d. § item uobis uer ſic. Cuiuſcunque enim rei poſſeſsionem adepti fuerint, uos poſsidere uidemini. & ita etiã reſpõdetur ad tex. in d. l. ij. pro ſoluto, ubi poſſeſſio per procuratorem ignoranti domino quæritur, licet non quæratur uſucapio.

AD ultimũ de æquiparatione ſerui & procuratoris, reſpondetur æquiparationem procedere, quo ad effectum, non quo ad modum: ſi quidem in effectu per utrunq; ignoranti domino poſſeſſio acquiri poteſt, ſed diuerſo modo: ſanè per procuratorem mediante generali mandato dicta l. ſi procurator. de acqui. re. domi. per ſeruum uerò peculiari nomine dicto §. quæſitum de acquiren. poſſeſſio. & dicta. l. ij. §.

Celsus pro empto. cum alijs iuribus supra allegatis. Tandem in hoc passu conclude seruum extra causam peculiarem posse domino ignoranti possessionem consecutiuam uel naturalem tantum facultatem acquirere, per quam non fit usucapio. Cæterū possessio ciuilis, per quam fit usucapio, non nisi ex causa peculiari domino quæri potest. & ita conciliantur omnia iura prædicta & opiniones. neq; enim dominus ciuiliter possidere potest, nisi eius animus interueniat. l. nemo. C. de acqui. pos. l. iij. §. saltus eo. ti. cum uulgaribus. licet prædictæ cōsiderationi obstare nonnihil uideatur tex. subtiliter inductus in l. quemadmodum de acqui. posses.

DECIMA elicitur conclusio ibi, per se uel seruos, precia esse extra causam peculiarem per se uel seruos possidere, & usucapere. Nam utroque casu possessio & usucapio domini captiuitate rumpuntur, ut in princ. huius legis. & ita intellexit Marcellus. in d. §. factæ de capt. existimans Iulianū in non peculiaribus distinxisse inter possessionem domini & serui: cum tamē Iulianus distinxerit inter peculiarem possessionē & non peculiarē: & ita uterq; in casu suo recte locutus est, & Claudius ita Iulianū declarauit. Nec obst. disti. Bar. hic in pen. oppo. inter possessionē, et usucapionē, quia cōfunditur p tex. in d. l. nunq̄. §. si seruus infra eo. & per rationes manifestas. Nā extra causam peculiarem dominus semper possidet animo suo, licet corpore serui d. §. saltus. igitur captiuato animo necesse est possessionem interrūpi d. l. cum hæredes. §. i. de acqui. possessio. & d. l. deniq; ex quib. cau. maio.

Pæterea

Præterea absurdum foret solam usucapionem, quæ iuris est, & facilius conseruatur interrumpi, possessione ipsa, quæ magis facti est, integra remanente l. traditio in fin. de acqui. re. domi. & faciunt ea, quæ in præcedenti conclusione contra Bartol. & communem deducta fuerunt.

VNDECIMA elicitur conclusio ibi, nam hæreditates, quòd hæreditatis appellatione, proprie & simpliciter uenit hæreditas iacens per mortem domini naturalem, & nondum adita per hæredem l. prima. §. ueteres cum ibi not. de acquiren. possessio. l. i. § Scæuola si quis testa. liber. l. hæreditas de acqui. re. domi. l. delata de uerbo. significa. ratio patet, quia uiuentis hæreditas dici non potest l. neminem de acquiren. hæredita. l. prima de hæredi. uendi. facit ad statutum loquens de hæreditate simpliciter, ut de iacente, & nondum adita intelligatur. cum uerba statutorum sint stricte & proprie intelligenda l. quicquid astringendæ de uerbo. obligatio. l. prima. §. si is qui nauem de exercito. actio. l. non aliter de lega. iij. Bartol. & Doct. in. l. omnes populi de iusti. & iu. Vnde quæri potest, an saltem comprehendatur statuto hæreditas captiui, quæ ficta hæreditas dicitur secundum Bartol. hic in prima oppo. tertiæ partis, per tex. in. l. iij. §. fin. de uerbo. significa. & notat glo. in l. penul. de capti. & uideretur comprehendi, quoniam idem operatur fictio in casu ficto, quod ueritas in casu uero l. prima de adoptio. l. uni. in prnic.

C. de rei uxo. actio. Respondeo negatiuè, quoniam uerba statuti in casu uero, non ficto, intelligi debent l.fin. ubi Bald. C. de his qui ueni. æta. impet. l.iij. §.hæc uerba de nego. gest. Veruntamen dicendum est in omnibus inspiciendam esse rationem statuti, & mentem statuentium, a quibus uerba ipsa regulantur l. quoniam indignum. C. de testamen. l.iij. C. de libe. præterit. c. secundo requris de appellatio. Cæterum in dubio uerborum proprietati inhærẽdum est dicto. §. si is, qui nauẽ, ibi in re dubia melius est edicti uerbis seruire. & dicta l. non aliter de lega. iij. cum uulgaribus.

DVODECIMA elicitur conclusio, ibi in quibusdam uice personæ, quod hæreditas in multis casibus loco domini habetur l. hæreditas in multis supra de acqui. re. domi. sed quæritur, in quibus casibus defuncti personam representet? Respondeo, ubicunque nullum personæ factum de nouo requiritur dicta l. hæreditas. & l. mortuo de fideiusso. l. nouatio de nouatio. l. cum hæreditas. C. deposi. ubicunq; uero factum personæ, operæ'ue substantia desideratur, hæreditas nihil potest, nec aliquem repræsentat dicta l. hæreditas in multis. Et ideo per seruum hæreditarium hæreditas acquiri non potest: quoniam animus adeuntis, qui facti est, expresse requiritur l. bonæfidei. §. primo & l. liber homo. & l. per hæreditarium de acquirẽ. re. domi. & dicto. §. ueteres de acquiren. possessio. & l. per procuratorem de acqui-

ren. hæredita. Item nec possessio, quoniam in ea acquirenda, & animus, & corporalis apprehensio requiruntur l.iij.§. Neratius de acquiren. possessio. Sed hæreditas iacens animum non habet dicto.§. Scæuola. & l. iusto.§. fina. & l. fin. in fi. infra eo. Item nec usufructus hæreditati iacenti acquiri potest, quia requitur uera persona, quæ realiter utatur fruatur: est enim ius mere personale dicta l. hæreditas in multis. & l. usufructus de stipulatio. seruo. Iuxta prædicta non insubtiliter quæri potest, cur hæreditas iacens defuncti potius quàm hæredis personam repræsentet. §. seruus autem Instit. de hæredib. insti. & de stipulatio. seruo. in princ. Respondet glo. in dicto.§. seruus, quam doct. communiter sequuntur, quia defuncti persona certa est; hæredis uero incerta. quæ ratio non placet, quandoquidem homine mortuo nihil est incertius l. iij. cum glo. in uerbo incerto. C. solu. matrimo. Ego aliàs dicebam in causa esse repugnantiam subiecti. nam hæreditas, si hæredem repræsentaret, pro adita haberetur, quo casu nó amplius dici posset hæreditas dicto.§. ueteres cum ibi not. l. post aditam. C. de impube. substi. & ita in simili arguit glo. in l. per hæreditarium de acquiren. re. domi. Sed nec ista ratio placet, quoniam ea attenta sequeretur, quòd nec etiam defunctum repræsentare posset, nam tanquam uiuentis hæreditas fingeretur contra tex. in l. neminem de acquiren. hæredita. & in l. prima de hæredi. & actio. uendi. Quare puto ueram rationem esse, quod ideo magis de-

functum, quàm hæredem repræsentet, quia respe-
ctu defuncti nullum factum de nouo requiritur,
sed sufficit sola iurium conseruatio, & eorum quæ
ipso uiuente inchoata fuerunt dicta l. cœptam infra
eo. sed respectu futuri hæredis opus esset fingere ali-
quod nouum factum, scilicet aditionis, & appre-
hensæ possessionis l. cum hæredes in princ. & §. pri-
mo de acquiren. possessio. & consequenter in defun-
cto una tantum fictio in genere sufficit, scilicet eum
adhuc uiuere, per quam solam fictionem inducti-
uam citra ullum factum ab ipsa hæreditate refer-
tur. Cæterum in hærede multiplex æquè principalis
fictio requireretur, nempe aditionis, apprehensionis,
& aliorum, quæ personalem operam desiderare ui-
dentur. & hac ratione peculiaria conseruantur, quia
nullum factum de nouo requirunt; sed sufficit sola
uoluntas defuncti semel declarata dicto. §. Item ac-
quirimus. & dicto. §. quæsitum. De nouo autem,
etiam peculiari nomine, hæreditas acquirere nihil
potest: quia noua acquisitio nouum personæ factum
requirit, & hic est uerus sensus l. fin. infra eo. licet
glo. Bartol. & plerique uiolando tex. aliter sentiant.
Constat enim hæreditatem iacentem, non nisi in reti-
nendo & conseruando, personam posse repræsen-
tare, non etiam in acquirendo: ne, ut dictum est,
multiplex fictio cumuletur dicta l. cœptam. hæredem
uero referre non posset, nisi respectu acquisitionis.
igitur relatio hæreditatis ad defunctum necessario fa
cta est ex quadam fictione, iure singulari suffulta

l. penul.§.nondum infra eo. Nam si hæreditate iacente, etiam iura inchoata, uel quæsita deficerent, uel interrumperentur, nullus facile inueniretur hæres, qui defuncti famam pudoremq; susciperet, ut inquit Plinius secundus epistol. iiij. ad Caluinum libro secundo, & sic tam publica, quàm priuata utilitas intercideret l. & quia de interroga. actio.§.primo Instit.quibus manu.non licet.Verum prædictis obstare uidetur, quandoquidem etiam in retinendo, & conseruando animus requiritur l. qui uniuersas.§. quod per colonum, de acquiren. possessio. & tamen animus est facti, & hæreditati iacenti non tribuitur dicta l. bonæfidei.§.primo de acquiren. re. domi. & dicto.§. Scæuola. Ad hæc respondeo, quòd in conseruandis uiribus, animi factum non requiritur: quia etiam ignorantibus procedunt, & ab hæreditate citra animum conseruantur dicta l.cũ hæredes in princi. de acquiren. possessio. sed in retinenda possessione, quoniam facti est (ut late supra ostendimus) animus desideratur dicto.§.retineri. & consequenter ab ipsa hæreditate possessio nõ conseruatur, sed iure quodam singulari sine possessione usucapio cœpta perficitur dicta l. cœptam & dicta l. sine supra eo. Nec me mouet, quod tempus iacentis hæreditatis prodest hæredi ad usucapiendum: quoniam illud specialiter per fictionem translatiuam conceditur, per quam hæres statim adita hæreditate iam a morte ipsius defuncti immediate successisse intelligitur, atque hæres retro fuisse fingitur l.hæres quandocunq; de ac=

quiren. hæredi.l. si ex re.§. fin. de stipulatio. seruo. quemadmodum dicimus in legato, quod a morte testatoris ad legatarium pertinere censetur, si fuerit agnitum l.a Titio cum glo. in uerbo recta de furtis. & hac ratione possessio defuncti continuatur hæredi, si modo per eum fuerit apprehensa, & medio tempore a nemine occupata: nam occupatio medij impedit extrema coniungi l. possessio infra eo.§. diutina Insti.eo.l. secunda & l. super.C.de acquiren.possessio. Et si dicatur, attenta ergo prædicta fictione translatiua, per quam hæres immediate defuncto successisse creditur, nulla inuenietur hæreditas iacens, & quæcunque de hæreditate iacente dicuntur inutilia reddentur? Respondeo, quòd dicta fictio translatiua, per quam hæres defuncto coniungitur, in iuribus tantum procedit, & eorum respectu hæreditas iacuisse non intelligitur: secus in his, quæ (ut dictum est) in facto, uel opera personæ consistunt dicta l. hæreditas in multis de acquiren. re. domi. Et ideo in suis hæredibus non datur hæreditas iacens propter dominij continuationem l. in suis de libe. & posthu.l.in suis de su. & legi.l. cum hæreditas, ubi glo. & doct.C. depo.§. sui Instit. de hære. quali. & differen. Et in suis non habet locum titulus pro hærede l. secunda.§. fina. infra pro hære.l. nihil, cum ibi not.C.eod. titu. Nam uiuo patre quodammodo domini existimantur, & naturalis possessio penes illos fuisse censetur dicto §. fina. pro hære. & ad propriam magis, quàm ad alienam successionem aspirare creduntur l.prima.§.

largius de ſucce. edic.l. ſcripto in fin· unde libe.l.cum ratio de bo. damnato.l. nam & ſi parentibus in fin. de inoffi. teſta. cum ſimilibus. Nec quicquam facit, quod ſui propter beneficium abſtinendi ad inſtar extraneorum redacti uidentur l.neceſſarijs de acquiren. hæredita.l. ſi filius, qui patri de uulga. quia reſpondeo beneficium abſtinendi ipſo iure non competere, ſed ita demum, ſi realiter agnoſcatur. Potẽtia enim abſtinendi non impedit legis obligationem, & prætoris authoritas ciuiles obligationes auferre non poteſt §. quos autem Inſtit.de bono. poſſeſſio.l. prima. §. qui ſunt, ſi quis omiſ. cau.teſta.l.uni. de conditio. & demonſtra. & ideo fundata eſt creditorum intentio contra filium, quatenus doceat ſe realiter abſtinuiſſe dicta l. neceſſarijs, ibi tamen in eos actio non detur, ſi uelint relinquere hæreditatem. oportet igitur uoluntatem prius declarari, quàm ab oneribus & nexibus paternis abſoluti cenſeantur. & ita doct. communiter tranſeunt. Sic etiam, quo ad fictionis modum, ſui ab extraneis differunt, quia in exteaneo hærede fictio a morte defuncti incipit; in ſuis autem iam uiuo patre fictio initium capit d.l. in ſuis.& d.l.ij.§.fin.pro hærede.

DECIMATERTIA concluſio elicitur ibi, ideoq; in ſucceſſoribus locũ habere uſucapionem: quòd hæreditas ficta in fauorem hæredis idem operatur, quod uera, conuenit tex. in dicto.§.

factæ de capti. ibi Iulianus ſcribit hæredibus ſuo tempore impleri uſucapionem. Oppono quòd immo hæreditas ficta plus operetur, quàm uera, & conſequenter quòd fictio potentiam ueritatis excedat. Nam uera hæreditate iacente per mortem domini naturalem, ſeruus hæreditarius, etiam ex cauſa peculiari, de nouo poſſidere, uel uſucapere non poteſt dicta l. fina. §. fina. infra eod. Et tamen hæreditate, per captiuitatem domini fictè iacente, poſſunt interim ſerui hæreditarij peculiari nomine de nouo poſſidere, & uſucapere dicta l. iuſto. §. fina. infra eod. dicta l. penul. de cap. & facit tex. hic in uerſic. quemadmodum enim poſtliminio reuerſus plus iuris habere poteſt &c. comparatiue non interrogatiue legendo, ut ſuperius admonui. neque enim dictio quemadmodũ cum dictione enim ullo pacto per modum interrogationis legi poteſt, ut temere doctores uoluerunt: ſed per modum comparatiuæ rationis. Bartol. ut hanc difficultatem euaderet, coactus fuit uiolare tex. in dicta l. fin. §. fina. infra eo. & fingere neſcio quod peculium, deſtinatione ipſius ſerui conceptum, uolens illum tex. uere loqui in non peculiaribus poſt glo. ibi: cuius errorem ſequi maluit, quàm ueram eiuſdem gloſ. opinionem in dicta l. penulti. de capti. Quare reiectis erroribus tam manifeſtis, omnino tenenda eſt differentia inter hæreditatem captiui fictam & ueram: ut ſcilicet pendente captiuitate,

peculiaria de nouo acquiri, & possideri possint propter spem postliminij: iacente uero hæreditate per mortem domini naturalem, nihil de nouo possideri, uel usucapi possit iuribus præallegatis, quæ euitari non possunt. & pro causa differentiæ amplectenda est ratio domini Andreæ Pisani (licet a Bartolo reprobata) cum pleniori tamen declaratione. Nam licet mortuus apud hostes, ante captiuitatem, & seruitutem decessisse fingatur, attamen pendente captiuitate hæreditas non fingitur iacuisse in præiudicium spei postliminaris. Et ideo quamdiu dominus naturaliter uiuit, propter spem postliminij capacitas eius, & seruorum adhuc consideratur, possuntq́ue serui interea ex causa peculiari, & de nouo possidere, & usucapere: sed post mortem domini naturalem talis capacitas nec re, nec spe, amplius considerari potest. Igitur peculiaria fundamentum dominicæ uoluntatis non habent, ut de nouo possint inchoari. Ad hoc enim ut in omni actu peculiari consensus seu animus domini concurrere intelligatur dicta l. peregre. §. quæsitum de acquiré. possessio. oportet dominum naturaliter uiuere & superesse, ne uel mortuum consentire fingamus, uel duplicem eodem respectu fictionem cumulemus, scilicet & defunctum uiuere, & consentire, contra not. in l. prima. C. de do. pro. Et si dicatur, dominus captiuus per seruum possidere non potest l. neque seruus supra eo. ergo quod a domino non possidetur,

per seruum usucapi non potest dicta l. fina. § fin. infra eod. Respondeo, quod uirtute capacitatis domini in spe postliminij fundatae, per seruos peculiaria possidentur. tex. autem in dicta l. neque seruus, in non peculiaribus loquitur, ut glo. ibi recte declarat. Ex praedictis igitur duplex ad hunc tex. limitatio colligi potest, ut regula hic in fin. posita, quòd haereditas iacens personam defuncti repraesentat, procedat in ijs, quae sunt iuris, & nullum personae factum desiderant dicta l. haereditas in multis. Secundo ut procedat in ijs tantum, quae uiuente defuncto inchoata fuerunt dicta l. fina. §. fina. infra eod. Vnde infertur, quòd mortuo domino apud hostes, & sic haereditate uere iacente, serui haereditarij nihil de nouo, etiam peculiariter, possidere, uel usucapere possunt: usucapionem tamen coeptam perficere iure quodam singulari non prohibentur dicta l. coeptam. facilius enim aliquid compleri permittitur, quàm de nouo inchoari l. patre de his qui sunt sui cum uulga. & hoc respectu argumentum glo. & Bartol. recte procedit, quòd scilicet non magis operari debet haereditas captiui, quàm liberi, nimirum de uera haereditate captiui apud hostes defuncti intelligendo: secus in haereditate ficta captiui adhuc uiuentis, quae propter spem postliminij domini capacitate fouetur. Caetera uero, qualiter haereditas defunctum repraesentet, uideantur per glos. Bartol. & docto-

res in l. si mihi & Titio. §. primo per illum tex. de legatis primo.

VLTIMA erit conclusio, quòd quæcunque dominis reuersis postliminio competunt, eadem & eorum successoribus per legem corneliam conceduntur: & ita uoluit hic Marcellus recte percæptus. facit tex. in dicta l. bona in princ. de captiui: & rationem huius conclusionis superius in declaratione textus plenè explicauimus per tex. in l. si pactum in fin. de probatio: & in l. scripto unde libe. & ita amplectenda est litera affirmatiua, quæ longe probabilior est, & iurisconsultorum menti, ac communibus regulis congruentior. Qui enim negatiuam sequuntur, multa inepta, & ridicula præsupponunt. Primum, quod Iulianus notauerit Marcellum longo tempore posteriorem, a quo ipse notatus fuit, ut passim in Pandectis legitur: Secundo, quòd Iulianus de lege cornelia dubitauerit in peculiaribus; & Marcellus responderit de non peculiaribus. Tertio, quòd dictio quemadmodum eum dictione enim causali stet interrogatiue contra naturam uerborum, quod & nusquam lectum est. Vltimo, quod ubi postliminio locus est, lex cornelia non prosit hæredibus: quod euidentissime falsum est, ut patet ex supradictis. Proinde relecto communi sensu, & negatiua lectione, tene quæ supra euidentibus argumentis, iuribus, &

rationibus per nos comprobata fuerunt. ad laudem summi Dei, cui soli honor, & gloria.

Dictabat Paduæ Gribaldus Calendis Iulij.

M D X L V I I I.

F I N I S.

Apud Gualterium Scotum.
M D L I I.



REGISTRVM.

* a b c d e.

Omnes sunt quaterniones.

